UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Tractatus I. De Fide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-82733

Visual Library

TRACTATUS I.

DE FIDE.

CAPVT PRIMVM.

DE RESOLVTIONE FIDEI IN SVVM OBIECTVM FORMALE.

34. REsolutio Fidei est prima & summa difficultas hujus tractatûs. Antequam verò ad ipsas controversias accedamus, aliqua præmittenda sunt ad statum quæstionis intelligendum. Itaque

Notandum est 1. Objectum nostrorum actuum tam Intellectûs quàm Voluntatis aliud esse & dici Materiale, aliud Formale seu motivum & ratio assentiendi aut volendi. Materiale est illud cui directè assentimur, & quidem loquendo de objecto materiali cognitionis, si strictè illud accipiamus, debet esse tale, cujus veritas non appareat immediatè ex terminorum apprehensione & penetratione, sed ex connexione cum alio cui aliunde assentimur; & hoc sensu dicunt aliqui, quòd in actibus sensuum non reperiatur objectum materiale, quia sensus non attingunt vnum propter aliud, sed omnia in seipsis. Objectum formale est illud motivum, propter quod assentimur objecto materiali, tanquam habenti connexionem cum illo, seu, est illud, quod reddimus pro ratione, cur assentiamur alicui rei non apparenti ex terminis: & vocatur assensus mediatus.

35. Notandum 2. Fundamentum seu originem assensuum immediatorum, & mediatorum, esse diversam terminorum seu extremorum apprehensionem secundùm sua intrinseca prædicata. Duplici enim modo solemus objecta apprehendere; aliquando *apprehensione suasivâ* (vt hodie loqui placet) aliquando non suasivâ. Apprehensio suasiva est illa, quæ sufficit ad hoc, vt intellectus possit immediatè elicere judicium, & vel affirmare vel negare identitatem inter extrema: & hoc iterum dupliciter fieri potest. aliquando enim hujusmodi apprehensio ita penetrat extrema, vt intellectus necessitetur ad judicium formandum, aliquando non quidem necessitat, sed ita suadet, vt ex imperio voluntatis possimus immediatè probabilem assensum præbere, prout contingit in omnibus propositionibus immediatè probabilibus. Apprehensio non suasiva est, quæ ad judicium formandum non sufficit: in exemplo: quantumvis ego jam apprehendam, quid sit numerus par, quid impar, item quid sit stella, & insuper sciam esse plures stellas, non possum tamen, ne quidem ex imperio voluntatis, elicere assensum aut dissensum, an stellæ sint in numero pari an impari, quia numerum stellarum non apprehendo eâ claritate & distinctione, quæ sufficiat ad assensum hujusmodi.

36. Notandum 3. Non omne objectum cujus prævia cognitio & apprehensio est occasio asserendi aliquam veritatem, esse hoc ipso objectum formale & motivum hujus assensûs, sed sæpè esse & vocari *Conditionem objectivam*, quia non ingreditur tanquam pars ipsum objectum motivum: sicut approximatio est conditio ad calefaciendum, & non est pars virtutis calefactivæ in ratione virtutis. Discrimen inter objectum formale & inter conditionem objectivam bene declarat Ripalda *disp.2. de fide n.4.* nec potest meliùs declarari quàm in exemplo: in genere tamen sic proponi potest. Illud est mera conditio objectiva, & non objectum formale alicujus cognitionis, quod non movet intellectum ad illam cognitionem eliciendam ratione veritatis propriæ, sed ratione veritatis alienæ, ad quam intellectui objiciendam confert. v. g. Quando Professor aliquam conclusionem explicat, & argumentis efficacibus probat, excitantur in discipulo attento & benè disposito species intellectuales, quarum beneficio elicit apprehensionem suasivam circa terminos propositionum, quibus conficitur probatio Conclusionis; & sic denique elicit discursum demonstrativum

vel opinativum circa conclusionem à Professore propositam. Porrò hujus assensûs objectum formale & motivum non est illa exterior propositio seu sermocinatio Professoris, non enim assentitur discipulus ille objecto, quia Magister dicit (hæc enim non esset Scientia sed fides) sed propter rationem formalem, propter quam ipse quoque Magister Conclusioni assensum præbet, nempe propter objectum præmissarum. Est ergo illa propositio Magistri mera conditio objectiva, sine quâ hîc & nunc non excitarentur species requisitæ ad eliciendum discursum.

37. Notandum 4. Sicut dantur assensus evidentes immediati, ita etiam dari assensus immediatos probabiles, ex voluntatis imperio procedentes, & hoc facilè demonstratur. Datur conclusio inevidens, seu tantùm probabilis: ergo etiam datur Judicium immediatum inevidens. Probatur consequentia. Ex duabus præmissis evidentibus semper sequitur conclusio evidens: ergo si conclusio est inevidens, debet etiam vna ex præmissis esse inevidens. Vlteriùs, vel illa inevidens præmissa est judicium immediatum, vel est judiciũ mediatum: si primum, habeo intentum. si secundum, tunc redit argumentum de præmissis illius syllogismi, quo probatur illa prior inevidens præmissa. illius enim syllogismi altera saltem præmissa debet iterum esse inevidens: ergo vel est judicium immediatum, & habetur intentum; vel mediatum; & quia non potest abiri in infinitum, debet denique perveniri ad judicium aliquod immediatum inevidens, & probabile tantùm.

38. Notandum 5. Quando assentimur directè alicui objecto materiali propter aliquod formale, ex quo per connexionem duorum extremorum cum tertio deducitur, semper intervenire discursum saltem virtualem, hoc est æquivalentem tribus propositionibus realiter distinctis. Assensus autem fidei, qui in præsenti est resolvendus in suum objectum formale, ad minimum est discursus virtualis: nam vtrùm possit esse formalis, controvertitur, de quo infrà.

39. Notandum 6. In assensu hujusmodi mediato, semper ex parte objecti formalis intervenire duo principia objectiva: quando enim assentimur huic mysterio: *Verbum est incarnatum:* sanè illud non est nobis immediatè ex terminis notum, ne quidem probabiliter: ergo, debet fieri notum propter connexionem cum aliquo objecto formali, quod sit ex terminis notum saltem notitiâ inevidenti: hoc autem non est aliud quàm Veracitas Dei, ejusdémque locutio seu revelatio de Incarnatione Verbi: neutrum enim sine altero sufficeret ad assensum firmissimum: quapropter talis assensus exponitur hoc modo. Verbum est incarnatum, quia Deus summè verax & infallibilis hoc revelavit. Vtrumque ergo hoc principium, quomodo ab actu fidei attingatur, est explicandum; & quidem incipiendum à Veracitate.

40. Notandum itaque 7. Nomine primæ Veritatis hîc non intelligi Veritatem transcendentalem, seu, Veritatem in essendo, sed primam Veritatem in cognoscendo & loquendo, hoc est illam divinam perfectionem duplicem, vnam ex parte intellectûs divini, seu infallibilitatem passivam, alteram ex parte voluntatis divinæ, hoc est Infallibilitatem activam, quatenus Deus fallere aut mentiri non potest.

41. Notandum 8. Veracitatem communiter distingui à Fidelitate per hoc, quòd Veracitas sit voluntas conformandi verba menti, seu conceptui quem quis habet de rebus de quibus loquitur. Fidelitas autem sit voluntas conformandi facta promissioni. His prælibatis sit

CONTROVERSIA I.

Vtrum Assensus Fidei habeat revera Motivum assentiendi.

PRima sententia est Guilielmi Parisiensis, & de Rubione, actum fidei nullum habere motivum ex parte Intellectûs, sed solùm ex parte Voluntatis; quia scilicet credimus Deo jubenti vt credamus. Non enim inquiunt, credimus Deo quia verax est, seu quia verum est, quod Deus dicit: sic enim cuivis homini crederetur, si diceremus verum esse id, quod dicit: sed quia jubet sibi credi, & sic fides est, per quam solvit intellectus debitum obedientiæ: jussio autem est motivum voluntatis & non intellectûs.

42. Secunda sententia est Scoti *in 3. dist.* 24. quam tamen non satis firmiter tenuit, sed potius in medio reliquit, & alijs considerandam proposuit, argumentis, quæ objecerat, non solutis: quod etiam fecit, cùm referret sententiam asserentem, quòd Motivum fidei sit Veracitas & revelatio Dei. Scotus itaque tentavit ostendere modum, quo defendi posset, assensum fidei nullum habere motivum assentiendi ex parte objecti, hoc fere discursu. Hæ propositiones: *Deus est trinus: Filius est incarnatus:* ex terminis non sunt nobis notæ, & ideo post quamlibet apprehensionem sui cognitionem quam naturaliter habere possumus circa illos terminos, semper manent illæ propositiones neutræ, hoc est, nec apparent veræ, nec falsæ: igitur ponendum est aliquid, quod suppleat caussalitatem seu vim movendi terminorum: cùm autem naturaliter nihil hujusmodi fieri possibile, infunditur à Deo habitus fidei, qui gerat quasi vices objecti: quapropter intellectus hoc habitu illustratus præstat immediatè assensum Mysterijs revelatis sine alio motivo: simili plane modo, quo intellectus beatorum præditus lumine Gloriæ videt immediatè Deum.

Confirmat Scotus alio exemplo & à parte Dantur enim propositiones ex terminis quidem notæ, sed imperfectè & obscurè: quarum tamen frequentatis actibus intenditur habitus, & propositio

sitio priùs non satis clara evadit deinde clarissima: ergo per solum habitum sine motivo novo suppletur caussalitas seu vis movendi terminorum ad clariorem cognitionem. ergo potest idipsum simpliciter & absolutè fieri in primo assensu. Pari modo per frequentationem actuum intenditur habitus, & augetur promptitudo ac facilitas assentiendi: ergo similiter poterit totalis & omnimoda determinatio provenire ab habitu fidei supernaturali, sicut fit à lumine Gloriæ.

43. Dicendum est, Assensum fidei circa Mysteria revelata, habere ex parte objecti motivum assentiendi, nec hoc posse ab habitu fidei suppleri. Probatur 1. Auctoritate S. Scripturæ, quæ infinitis locis testatur, & monet, vt credamus Deo loquenti, & propter Veracitatem illius: afferentur in decursu.

Probatur 2. Ex absurdis quæ sequerentur ex sententia Scoti, & quæ Scotus ipse advertit. 1. Sequeretur, puerum baptizatum, adeoque habitu fidei præditum, seclusis omnibus motivis credibilitatis, si etiam à psytaco audiret proferri ea quæ sunt scripta in sacris litteris, & in Concilijs dogmatizata, sequeretur, inquam, puerum non solùm posse tunc præbere illis omnibus mysterijs assensum, sed etiam ad hoc determinari & necessitari. Quia habitus suppleret vim movendi terminorum apprehensorum. Secundò sequeretur, quòd non posset committi peccatum infidelitatis: nam qui nec habet motivum credendi, nec aliquid supplens motivum, non obligatur credere, imò est illi impossibile credere: atqui motivum fidei secundùm Scotum nemo habet: & qui peccat peccato infidelitatis, non habet habitum fidei, qui enim hunc habet infallibiliter credit. Ergo &c.

44. Probatur. 3. Ab experientia. Experimur enim, dum credimus difficillima mysteria, difficultatem in credendo, & victoriam difficultatis: ergo experimur pugnam inter motiva allicientia ad credendum & motiva absterrentia à credendo: impossibile enim est, vt pugnemus contra motiva absterrentia, quin habeamus motivum alliciens ad credendum. Nam hæc pugna provenit à cognitione proponente indifferenter objectum.

45. Probatur 4. Ratione à priori. Fides est libera, quia meritoria: atqui libertas non datur, vbi deest motivum in vtramque partem contradictionis: ergo debet etiam pro fide adesse motivum.

Dices; his argumentis solùm probari, quòd sit necesse dari motivum respectu Voluntatis, hoc est, motivum volendi credere; non autem quòd detur motivum respectu Intellectûs, hoc est, motivum ex quo inferatur id quod creditur.

Sed contra. Non potest dari motivum volendi credere efficaciter respectu Voluntatis, sufficiens ad imperandum assensum Fidei, quin proponatur intellectui motivum credendi objectum in se immediatè non apparens. Alioquin possem velle credere homini etiam mendacissimo, quia possem habere motivum volendi credere; sicut ergo vt credam homini, debet etiam intellectum movere Veracitas loquentis hominis, ita vt credam Deo, debeo moveri à Veracitate Dei.

46. Ratio à priori est, quia sicut objectum Voluntatis est Bonum, ita objectum intellectûs est Verum: ergo sicut voluntas nihil potest amare nisi propter motivum Bonitatis, ita intellectus non potest assentiri vlli objecto, nisi appareat Verum, vel immediatè & in se, vel mediatè & in alio, cum quo habeat connexionem.

47. Ad Argumenta Scoti, facilis est responsio ex dictis. Et imprimis inter lumen Gloriæ, & Habitum Fidei, nulla est paritas; etiamsi pro nunc demus, tam Lumen Gloriæ, quàm habitum Fidei concurrere loco objecti per modum speciei impressæ (quod tamen mihi videtur falsum, vt partim dixi lib. 1. partim infrà dicam) Nam Lumen Gloriæ ita concurrit, vt determinet intellectum ad Visionem, & cognitionem intuitivam immediatam objecti: habitus fidei autem relinquit libertatem assentiendi: ergo sicut aliæ species relinquentes hanc libertatem, non possunt concurrere ad cognitionem, nisi repræsentetur motivum assentiendi, sic nec habitus fidei.

48. Ad Confirmationes respondetur, negando consequentiam, quæ est æquè inepta ac esset hæc: augeri potest cognitionis claritas & facilitas sine augmento potentiæ vitalis intellectivæ: ergo potest simpliciter produci cognitio sine potentia intellectiva. Itaque per frequentationem actuum augetur claritas & facilitas non solùm circa objectum materiale, sed etiam circa objectum formale.

CONTROVERSIA II.

Sub quo conceptu formali moveatur Intellectus ad Actum fidei ab Auctoritate Divina.

49. Dicendum est 1. Auctoritatem Divinam sub formali conceptu *Veracitatis* simul & *Scientiæ infallibilis*, movere fidem nostram, & vnam sine altera, saltem regulariter loquendo, non sufficere ad obtinendum assensum fidei. Probatur facilè. Nam etiamsi Deus judicaretur esse verax in dicendo, nolens vnquam mentiri, si tamen non judicaretur (vti aliqui judicârunt de objectis contingentibus sub conditione futuris, quæ existimârunt cognosci à Deo solùm conjecturaliter) si inquam non judicaretur esse Verax in cognoscendo, hoc est, infallibilis Scientiæ, non inveniret, nec mereretur firmissimum illum assensum, quem invenit & meretur ratione infallibilis Scientiæ quam habet. Possent enim homines formidare, an non fortassis fallatur, sicut possumus formidare de homine etiam Veracissimo. Econtra, etiamsi Deus judicaretur esse infallibilis Scientiæ,

Scientiæ, non tamen esse ita verax, vt non posset velle decipere, (prout aliqui existimârunt) non mereretur assensum firmissimum, sicut meretur, si judicetur non posse fallere velle. Posset enim quis formidare, num fortè hîc & nunc vellet fallere.

Hæc, vt dixi, ad minimùm sunt regulariter verissima. An vniversim sint vera, si res metaphysicè examinetur, controverti potest. Itaque

50. P. Martinus Ripalda docet primò: non repugnare actum fidei divinæ, hoc est, elicitum ab habitu fidei infusæ, cujus motivum non sit Veracitas, nec infallibilitas Scientiæ Dei, sed Fidelitas & Omnipotentia Dei: immò vult de facto tales actus elici. Declaratur. Ponamus Deum Petro promittere v.g. fertilitatem hujus anni: in hoc casu, si Petrus agnoscat in Deo perfectionem Fidelitatis & Omnipotentiæ, & locutionem Dei etiam agnoscat, potest elicere hunc actum: Annus fertilitatis est futurus, quia Deus summè fidelis (hoc est volens facta conformare dictis) & omnipotens hoc revelavit.

51. Quòd autem hic actus non nitatur formaliter ipsâ Sapientiâ infallibili, aut Veracitate Dei, probatur. Esto enim, quòd Petrus ambas has perfectiones etiam agnoscat (quamvis casus fingi posset, quo illas ignoraret, aut nihil de illis cogitaret, sed solùm de fidelitate & omnipotentia) non tamen illæ movent ad illum assensum. nam, si per impossibile Deus non esset infallibilis, nec immunis à mendacio, dummodo tamen esset fidelis & omnipotens, adhuc adesset sufficiens & adæquatum motivũ, firmissimè credendi futuram fertilitatem, quia ad hanc ctedendam non requiritur, vt Deus nec falli nec fallere possit loquendo, sed solùm, vt Deus non possit fallere in non conformando facta dictis: atqui non posset sic fallere; quod probatur. Imprimis, non posset fallere ex defectu Voluntatis: ponitur enim esse summè fidelis: nec etiam ex defectu potentiæ; ponitur enim Omnipotens. ergo ad illum actum eliciendum hæ duæ solæ perfectiones movent: ergo non movet Scientia infallibilis & Veracitas.

52. Porrò id quod Ripalda asserit de Promissione Dei, docet etiam cum proportione de proposito Dei aliquid faciendi; nam tale propositum revelanti Deo potest credi actu fidei, qui moveatur à Veracitate Dei, & non à Scientia infallibili, sed à constantia Voluntatis & ab omnipotentia, & hoc quidem docet consequenter.

53. Docet Ripalda 2. Posse esse assensum fidei, qui moveatur ex sola Veracitate aut sola fidelitate Dei, sejunctim ab omnibus alijs attributis divinis, scilicet: Assensum quo solùm credimus existere in Deo Judicium aliquod internum particularis objecti, quia Deus revelavit se habere tale Judicium. Probat. Quia etiamsi Deus esset fallibilis circa objectum illius Judicij, modò esset verax in dicendo, jam haberemus motivum sufficiens ad credendum, existere in Deo tale Judicium, licet non haberemus sufficiens judicium ad credendum, illud objectum sic se habere, prout Deus judicat se habere. Eodem modo, si Deus revelaret, se habere voluntatem hoc vel illud faciendi, posset existentia talis voluntatis credi vi solius fidelitatis, quæ faceret, vt Deus conformaret facta dictis, hoc est, haberet talem voluntatem, etiamsi nec esset circa alia objecta verax, nec Scientiæ infallibilis, nec Omnipotens. Hæc est doctrina P. Ripalda.

54. Priusquam doctrinam P. Ripalda ponderemus, solvenda est vulgaris objectio, quæ probari solet, Veracitatem sub formali suo conceptu nunquam esse Motivum fidei. Deitas, quæ talis, est vltima ratio motiva fidei: ergo non veracitas. Probatur antecedens. Veracitas Dei non cognoscitur nec asseritur à nobis, nisi propter Deitatem, ideo enim asserimus Deum esse summè veracem, quia est ens summè perfectum, & vna ex perfectionibus divinis est Veracitas: ergo ratio asserendi Veracitatem est Deitas. R. Transeat antecedens, nego Consequent. Quando enim Doctores docent, Veracitatem esse specialem Motivum fidei, loquuntur imprimis de objecto motivo immediato; deinde loquuntur de illo attributo divino, quod fidem movet præ alijs; talis autem est Veracitas, & non Misericordia, aut Justitia &c. Nam si cognoscam confusè Deum esse ens infinitè perfectum, deinde verò non cognoscam explicitè nisi vnicam Veracitatem, hæc sufficit ad credendum Deo. Econtra si solam Veracitatem non cognoscam explicitè, etiamsi cognoscam Misericordiam, Justitiam &c. non habeo sufficiens motivum ad credendum Deo loquenti: ergo Veracitas rectè assignatur pro motivo Fidei. Aliter respondet Suarez & Oviedo, sed eos bene refellit Lugo. Nunc ad Ripaldam redeamus.

55. DICO 1. Objecta à Deo promissa non credimus quin moveamur à Veracitate Dei in cognoscendo; seu quod idem est, quin moveamur à Scientia Dei infallibili. Est contra Ripaldam, sed ex mente cæterorum, specialiter Oviedo. *Contr. 2. p. 2. n. 29. & 30. & p. 3.* Probatur. Etiamsi enim aliquis judicaret, Deum esse omnipotentem, hoc est, potentem facere, quidquid non implicat contradictionem; & præterea etiam judicaret ex divina revelatione, Deum velle, quantùm in se est, efficaciter facere id quod promittit, v.g. conferre visionem beatificam, & tamen simul dubitaret de ejus infallibilitate in cognoscenda possibilitate rerum, non posset præstare firmissimum assensum, quòd Deus esset daturus visionem beatificam: posset enim formidare, an Deus non fallatur circa possibilitatem visionis beatificæ, & ex erronea cognitione de possibilitate visionis, formet decretum dandi visionem. Ratio à priori est, quia quando assentimur huic propositioni: *Quidquid Deus promittit, illud potest facere:* non assentimur sanè in alio sensu

sensu, quàm isto. Quidquid Deus promittit, id non promittit, nisi sciat se posse facere, non promissurus, nisi sciret se posse facere, & ideo quidquid promittit potest facere. Qui enim hanc propositionem negaret, non posset aliam rationem negandi dare, quàm vnam ex istis duabus, nempe quòd putet, vel Deum posse esse fallacem seu jactabundum, promittendo quod scit se non posse facere, vel judicare aliqua se posse, quæ non potest facere: ergo econtra, qui huic propositioni præbet assensum, debet judicare Deum nec posse esse fallacem, nec errare circa rei promissæ possibilitatem.

56. Ad hoc argumentum responderi posset ex P. Ripalda tribus modis. Primò, quòd non pertineat ad Scientiam futurorum, cognoscere non implicantiam seu possibilitatem rerum, quia hoc pertinet ad Scientiam simplicis intelligentiæ. Ergo non rectè colligitur esse necessaria Scientia futuritionis ad fidem promissionum, sicut colligitur esse necessaria ad fidem assertionum. Hæc tamen responsio nihil facit ad solvendum argumentum. Fateor quidem, Scientiam visionis rerum futurarum, non esse motivum credendi promissa, sed contendo, quòd Scientia simplicis intelligentiæ de rerum possibilitate, sit motivum credendi promissa: ergo non sufficit sola fidelitas cum omnipotentia, prout contendit Ripalda.

57. Responderi posset 2. Ad omnipotentiam Dei non solùm spectare, posse omnia quæ non involuunt contradictionem, sed etiam omnia quæ Deus vult efficaciter facere. Sed contra. Vel hoc secundum, scil. *posse facere quæ vult facere*; aliquid superaddit huic quod est: *posse facere quidquid non repugnat*; vel nihil superaddit: si nihil superaddit, inanis est responsio, quia præter verba nihil continet. si aliquid superaddit; ergo Deus potest velle facere aliquid quod repugnat: nam rebus non repugnantibus nihil potest superaddi, nisi aliquid repugnans.

58. Responderi posset 3. Requiri quidem Scientiam Dei de possibilitate rerum, vt Deus eliciat decretum faciendi rem promissam, sed non requiri, vt decretum jam existens connectatur cum objecto, seu cum futuritione rei promissæ, hoc enim habet per essentiam suam: & ideo solum decretum, seclusâ etiam Scientiâ Dei, est sufficiens medium seu motivum credendi futura promissa. Sed contra. Connexio quam habet Decretum Dei cum re promissa, nobis non aliter innotescit, nisi in quantùm judicamus, Deum nihil cæco modo velle, sed velle ea solùm, quæ scit se posse: adeoque hæc Scientia ex parte objecti, movet partialiter, vt credamus futura esse, quæ Deus vult & promittit. Et hinc patet responsio ad fundamentum P. Ripalda.

59. Objicies tamen vlteriùs. Non ideo Deus potest aliquid facere, quia scit se posse, sed econtra, ideo scit se posse, quia potest facere: ergo Scientia Dei non est motivum ad cognoscendam potentiam talis objecti: ergo sufficit cognitio potentiæ & voluntatis faciendi. R. Negando vtramque consequentiam. Nam licet in se res ita se habeat, sicut ponit objectio in antecedente, in ordine tamen ad nos, & ad nostram assensionem firmissimam, quâ judicemus aliquid non involuere contradictionem, necesse est, vt supponamus in Deo Scientiam de possibilitate illius rei, quam Scientiam se habere revelat Deus hoc ipso quòd revelet, se hoc vel illud velle facere. Quando autem naturali discursu judicamus aliquid non involuere contradictionem, non erit hoc judicium regulariter tam firmum, quàm firmus est assensus fidei, nixus revelatione Dei de scientia possibilitatis.

60. DICO 2. Fides promissorum nititur etiam Veracitate Dei in dicendo. Probatur. Deus non potest à nobis defacto cognosci fidelis esse, quin judicetur esse fidelis per essentiam suam: nulla enim ratio suadet, Deum esse fidelem, quæ solùm probet esse fidelem contingenter & mutabiliter, sicut est homo: ergo Deus nunquam potest aliquid promittere, quin tunc actu habeat voluntatem faciendi id quod promittit: si enim posset tunc habere voluntatem non faciendi quod promittit, posset vtique in illa voluntate perseverare, & per consequens esse infidelis. Ergo quando assentimur Deum esse fidelem, assentimur simul, Deum esse veracem in dicendo, & per consequens, quando credimus aliquid futurum propter Dei fidelitatem, illud ipsum tunc credimus futurum propter Veracitatem. Probatur vltima illatio. Si enim judicamus Deum non posse aliquid promittere, quin actu tunc velit illud facere, hoc ipso jam asserimus, Deum non posse mentiri, revelando se aliquid facturum, quod tamen nolit facere: ergo jam judicatur Deus verax saltem in hoc puncto, quòd non possit dicere, se habere voluntatem aliquid faciendi, quando talem voluntatem non habet. Vlteriùs, nullam habemus rationem asserendi, Deum esse veracem in hoc puncto, quæ non probet vniversaliter, quòd Deus nunquam possit mentiri: ergo à primo ad vltimum, nunquam potest nos in hoc statu movere fidelitas Dei, quin moveat etiam Veracitas.

61, DICO 3. Potest assignari aliquod objectum revelabile à Deo, ad quod directè & immediatè credendum, non movet infallibilitas divinæ Scientiæ, prout est formaliter distincta à Veracitate in dicendo. Nempe, quando quis crederet directè, in Deo existere cognitionem talis vel talis objecti, v. g. peccati futuri Antichristi: Declaratur. Veracitas in cognoscendo, prout in præsenti accipitur, non est quæcunque infallibilitas cognitionis in ordine ad seipsam, prout affirmat existentiam sui, sed, prout est infallibilis in ordine ad objectum, saltem formaliter distinctum ab ipsa cognitione quâ affirmatur. Jam verò, omnis cognitio affirmat reflexè & infallibiliter, se existere, ita vt ne fingi quidem possit esse

falsa : fingeretur enim existere simul & non existere : ergo infallibilitas cognitionis in ordine ad existentiam sui, quam affirmat, non est formaliter distincta ab ipsa cognitione. Itaque ad credendum Deo, asserenti, se habere tale judicium de peccato Antichristi, sufficit Veracitas in dicendo. Ratio est : quia Veracitas in dicendo, includit formaliter infallibilitatem cognitionis circa seipsam : est enim Veracitas in dicendo, voluntas conformandi verba menti loquentis : ergo est voluntas proferendi Verba non quomodocunque, sed proferendi verba tunc, quando adest talis mens & cognitio, qualem adesse loquuntur verba.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Veracitati Dei assentiamur actu Fidei immediato vel mediato.

62. SEnsus quæstionis est, vtrum, quando credimus aliquod mysterium revelatum, v.g. Incarnationem Verbi propter Veracitatem Dei & revelationem ejusdem, vtrum, inquam, ipsi Veracitati Dei tunc assentiamur per actum fidei, & an eidem Veracitati assentiamur etiam propter revelationem Dei, testificantis se esse veracem, vel potiùs, an assentiamur Veracitati Dei immediatè, & tanquam ex terminis notæ.

Suppono autem ex veriore philosophia, quòd omnis actus intellectualis attingat suum objectum formale & motivum, eique assentiatur, & per consequens, cùm motivum actûs fidei sit Veracitas Dei, debet actus fidei attingere Veracitatem, eique assentiri. hoc supposito

63. DICO, nos assentiri veracitati Dei per actum fidei immediatè, hoc est, non propter revelationem tanquam motivum. Contrarium videtur sentire Suarez *disp. 3. s. 6.* Probatur. Si Veracitati Dei non assentimur immediatè; ergo mediante revelatione : atqui hæc sola non sufficit, sed debet ex parte motivi accedere Veracitas : ergo si Veracitatem Dei credo mediatè, seu propter revelationem, credo etiam veracitatem propter veracitatem : ergo propter veracitatem immediatè cognitam : vel de hac iterum redibit Argumentum, & dabitur processus in infinitum. omnis enim assensus mediatus, resolvendus est in assensum immediatum circa motivum. Ergo fatendum est, Veracitatem aliunde quàm per revelationem innotescere, esto possit etiam veracitas sub conceptu magìs explicito aut amplo credi mediatè propter veracitatem, non ita explicitè & amplè jam aliunde cognitam, vt postea videbimus : hîc enim solùm contendimus, quòd necesse sit, nos Veracitati aliquatenus immediatè assentiri, & non propter revelationem.

64. Hinc rectè infert Card. de Lugo, quòd si quis dubitaret de veritate hujus propositionis : *Deus est summè verax*; quòd inquam talis non posset vllis miraculis ad fidem converti; quantumvis crederet, Deum per illa miracula loqui, dubitaret tamen, vtrum non vellet fallere, quapropter deberet priùs hunc errorem deponere, prout etiam advertit Altisiodorensis *lib. 3. Summ. tr. 3. c. 2. q. 1.*

Objicies 1. Si nobis Veracitas Dei esset immediatè nota, tunc etiam existentia Dei esset immediatè nota, sed hoc est contra Theologos, communiter asserentes, existentiam Dei nobis non esse immediatè & per se notam ex terminis, sed innotescere ex creaturis: ergo nec Veracitas Dei potest esse nobis immediatè nota. R. Nego sequelam. quando enim dicimus, Veracitatem Dei innotescere nobis immediatè, hoc est independenter à revelatione tanquam à motivo, hoc non est intelligendum de Veracitate vt sola & absolutè existente, sed conditionatè : *Si Deus existit, verax est*; seu; *De essentia Dei est, esse veracem :* in qua propositione non minùs præscindit ab actuali existentia, quàm quando dicimus *Leo est animal.* Vlteriùs verò ipsi existentiæ Dei absolutè assentimur, quatenus immediatè assentimur locutioni Dei quà tali, hoc est, quatenus immediatè ex apprehensione externorum signorum nobis credibile apparet, hoc miraculum, v.g. suscitationem Lazari in his circumstantijs factam, esse testificationem quandam supernaturalem, provenientem ab ente infinitè perfecto, adeoque existente, prout infrà magìs declarabitur. Sic autem jam apparet, quòd existentia Dei innotescat ex creaturis, vt habentibus connexionem cum existentia Dei.

65. Objicies 2. Ex nostra Conclusione sequitur, actum fidei esse evidentem; hoc autem est contra S. Paulum, dicentem, quòd fides sit argumentum rerum non apparentium. Sequela probatur. Prima Veritas, prout à nobis naturali lumine, & independenter ab omni revelatione cognoscitur, non minùs evidenter cognoscitur, quàm alia divina attributa, vt omnipotentia sic. est enim evidens, quòd Deus habeat omnem perfectionem, & evidens etiam est, Veracitatem esse perfectionem. Respondent Lugo & Ripalda, concedendo sequelam, & negando esse inconveniens, admittere hujusmodi evidentiam in actu fidei. Claritatis gratiâ possumus distinguere sequelam : sequitur fidem posse esse evidentem circa objectum formale inadæquatum, conceditur, circa objectum formale adæquatum, negatur.

66. Vrgebis. Assensus fidei debet esse certior quocunque actu naturali evidenti, quo cognoscitur Veracitas Dei : ergo assensus mysterij revelati v.g. Incarnationis, non potest esse evidentiâ circa Veracitatem Dei, quia conclusio non potest esse certior, quàm sit assensus circa motivum. Ad hanc replicam inferiùs respondebitur, cùm agetur de firmitate actûs fidei, comparati cum firmitate actûs evidentis metaphysici. Breviter nunc respondeo, Veracitatem posse cognosci

gnosci vel evidentiâ Metaphysicâ, quæ non suscipit magis & minùs; & tunc nego quòd actus fidei debeat habere majorem certitudinem, quàm talis actus naturalis, quoad modum adhærendi, quidquid sit de certitudine proveniente ex perfectione supernaturalitatis: Vel cognoscitur tantùm evidentiâ physicâ, aut adhuc minore claritate, suscipiente magis & minùs quoad firmitatem adhæsionis, vtpote proveniens formaliter ab imperio voluntatis, & tunc dico, quòd ex eodem imperio voluntatis assentiamur tam firmiter Veracitati, vt sufficiat ad actum fidei eliciendum circa ipsum Mysterium revelatum.

67. Objicies 3. Aliqui viri docti opinati sunt, Deum posse velle decipere, dicendo falsum: neque esse imperfectionem, aliquando posse dicere falsum: ergo non omni credenti est evidens, aut etiam summè probabile, Deum esse summè veracem. ℟. Illos viros doctos admisisse quidem, quòd Deus possit dicere falsum, sed non in casu quo Deus obligat ad credendum firmissimè, prout facit revelando mysteria necessaria ad salutem, & quidem cum talibus motivis credibilitatis, qualia defacto exstant in Ecclesia pro articulis fidei. Quodsi quis existimâsset, Deum etiam sic posse velle decipere, dicendum est, quòd stante tali errore actuali, fuisset impossibile tali homini, elicere actum fidei firmissimum: nec etiam fuisset possibile agnoscere obligationem credendi firmissimè. Non enim potest Deus obligare ad impossibile: est autem impossibile credere firmissimè prudenter illum, qui dubitat de Veracitate loquentis.

68. Objicies 4. Quidquid revelatur in Sacris litteris, illud potest credi propter revelationem, tanquam propter motivum: atqui Deum esse summè veracem, revelatur in SS. litteris: ergo potest credi propter revelationem divinam; & quidem tunc debet credi propter solam revelationem, & non propter Veracitatem, alioquin Veracitas esset motivum ad seipsam, ita vt simul & mediatè & immediatè illi assentiremur.

Ad hoc argumentum respondet Card. de Lugo n. 110. Veracitatem in isto casu credi propter se non eodem, sed diverso modo cognitam: alioquin, inquit, Syllogismus fidei esset in duobus solis terminis, nempe Veracitate & Revelatione, & conclusio esset eadem cum majore præmissa, quæ omnia sunt absurda. Deinde addit, syllogismum, vt sit in tribus terminis, esse sic formandum. *Quidquid Deus dicit, est verum. Sed Deus dicit, quòd quidquid Deus dicit, est verum: ergo verum est, quòd quidquid Deus dicit, est verum.* vbi, illud *Verum*, quasi reflexè applicatum ad illud *Dictum Dei*, est alius terminus. non enim requiritur, vt tres termini sint realiter distincti, sed sufficit distingui quoad modum concipiendi: quo pacto distinguitur in præsenti *Verum reflexum*, à Veritate directa, cui applicatur in conclusione, cùm dicitur: *Verum est, omne dictum Dei esse verum.* & sic creditur Veracitas reflexa propter veracitatem directè cognitam.

69. Hæc tamen responsio mihi nunquam placere potuit. Contra illam argumentor primò. Revelationes Dei non debent esse inutiles, sed conducere ad instructionem nostræ ignorantiæ, juxta illud Pauli, quòd omnis Scriptura divinitùs inspirata vtilis sit ad docendum &c. atqui si revelatio de Veracitate Dei, aliud non docet, nec ad aliud servit, quàm vt assentiamur veracitati reflexæ propter eandem veracitatem directè cognitam, nullam planè habet æstimabilem vtilitatem ad eruditionem populi fidelis, & ad Deum meliùs cognoscendum: ergo &c.

70. Argumentor 2. Si præmissæ ita formandæ sunt, vt formavit Lugo, sequitur nullum Mysterium fidei credi directè, sed semper reflexè, quod est contra omnium sensum: Sequelam ostendo exempli causâ in Mysterio Incarnationis: hoc mysterium, inquam, nunquam crederetur directè, dicendo, *ergo Verbum est incarnatum*: sed tantùm & semper reflexè dicendo: *Ergo verum est Verbum esse Incarnatum.* Syllogismus enim erit ita construendus. *Quidquid Deus dicit, est verum. sed Deus dicit, Verbum esse incarnatum: ergo verum est, Verbum esse incarnatum.*

71. Confirmatur. Si enim ex illis præmissis posset inferri conclusio, quâ directè crederetur Mysterium, sequeretur, posse ex duabus præmissis affirmativis inferri conclusionem negativam, quod repugnat Regulis Logicæ. Probatur sequela in exemplo. *Quidquid Deus dicit, est verum; sed Deus dicit Adamum non obedivisse præcepto, Christum non fecisse peccatum, Beatissimam Virginem non cognovisse virum &c. ergo Adam non obedivit præcepto: Christus non peccavit: B. V. non cognovit virum.* hæ, inquam, Illationes non minùs erunt legitimæ, quàm illa esset, si directè inferretur: *Ergo Verbum est incarnatum.* Porrò, dari actus fidei negativos, admittit ipse Lugo, *disp.* 8. *n.* 7. ergo vt tales legitimè inferantur, debent præmissæ aliter formari quàm formavit Lugo. Itaque

72. Quæres, quomodo præmissæ formandæ sint, vt Mysterium revelatum directè inferri possit in rigore Logico. ℟. Esse ponendas hoc modo. *Omne, quod Deus summè verax revelavit esse incarnatum, est incarnatum. Sed Verbum est aliquid, quod Deus summè verax revelavit esse incarnatum: ergo Verbum est incarnatum.* Pro Syllogismo negativo sic. *Nulla Persona, quam Deus summè verax revelavit non peccâsse, peccavit: sed Christus est Persona, quam Deus summè verax revelavit non peccâsse: ergo Christus non peccavit.*

Quando ergo communiter solent ita formari: *Deus est summè verax: sed Deus dicit, Verbum esse incarnatum: ergo Verbum est incarnatum.* clarum est non esse Syllogismum formalem, ad Regulas Logicas concinnatum, sed tamen æquivalentem & compendiosum.

73. Vt ergo ad objectionem respondeamus, & ostendamus, quâ ratione Veracitas Dei

sit à Deo directè & vtiliter revelata, vt vi illius revelationis possit vtiliter credi; non obstante quòd ille assensus debeat niti Veracitate Dei aliunde cognitâ, Respondeo & dico, hoc in duplici casu contingere posse. Primò itaque posset alicui esse evidens, quòd Deus sit summè verax, quando loquitur de se, suisque attributis, etiamsi non esset evidens, quòd circa alia non posset velle fallere. Ratio est, quia evidens est, quòd quidquid Deo non convenit, sit imperfectio, vel habens adjunctam imperfectionem: vnde sequitur, quòd quidquid Deo tribueretur illi non conveniens, esset Deo tribuere imperfectionem: hoc autem est blasphemare, vbi non excusat ignorantia. Deus autem nec est capax ignorantiæ, nec potest in seipsum esse blasphemus: ergo Deus nihil potest sibi tribuere, quod ipsi non convenit. Ergo hoc sensu potest alicui esse evidens, quòd Deus sit verax, quin evidens sit, quòd non possit alijs rebus tribuere quod illis non convenit, quia ratio allata hoc tam clarè non probat, cùm fuerint viri docti & pij, qui aliter senserint. Hoc supposito patet, quòd Deus vt verax circa se, possit esse motivum credendi, eum esse veracem vniversaliter, si nempe hoc revelavit, & formabitur syllogismus hoc modo. Omne attributum, quod Deus circa se summè verax sibi ipsi tribuit, convenit Deo: sed Deum esse vniversaliter veracem, est attributum quod Deus circa se summè verax sibiipsi revelando tribuit: ergo Deum esse vniversaliter veracem, convenit Deo.

Secundò dici potest, Veracitatem Dei posse esse objectum materiale fidei, & credi propter revelationem & propter Veracitatem, cum eadem prorsus latitudine sumptam, quâ sumitur in conclusione, sed cum hoc discrimine, quòd in præmissa seu in motivo, sumatur & affirmetur solùm conditionatè, *si Deus existit:* in conclusione verò ponatur; Deum esse veracem absolutè, seu quod idem est, Deum existere veracem, quia quatenus assentimur revelationi quòd sit locutio Dei, asserimus etiam, Deum existere, nemo enim loquitur qui non existat. Cùm itaque in neutra præmissa fuerit absolutè & formaliter affirmata *existentia Dei veracis*, poterit esse objectum materiale conclusionis.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum Veracitas Dei præter Infallibilitatem in cognoscendo & dicendo, includat insuper hoc prædicatum: Non posse permittere hanc apparentiam credibilitatis, quin Deus loquatur.

74. RECentiores aliqui, secuti Cardinalem Pallavicinum *libel. de fide. n. 63.* dixerunt, Veracitatem Dei adæquatè sumptam, & prout specificat virtutem Theologicam Fidei, non consistere adæquatè in his duobus: *Non posse loquendo fallere, nec cognoscendo falli*, sed insuper includere aliud prædicatum & perfectionem divinam, quæ quidem non possit evidenter cognosci, sicut possunt duo præmemorata, sed quæ immediatè ex terminis appareat summè credibilis, & est hoc prædicatum: *Deus non potest permittere tantam apparentiam credibilitatis, quantam habent homines obligati credere, & credentes fide divinâ, quin Deus loquatur.*

75. Fundamentum ita opinandi est hoc: Quicunque est infidelis & peccat non credendo, facit Deum mendacem, vt habetur 1. Jo: 1. & 5. sed hoc non esset verum, nisi Veracitas includeret illud prædicatum: ergo illud includit. Minor probatur. Plurimi, & ferè omnes, qui non credunt, non sunt tam blasphemi, vt dicant Deum posse mentiri, aut posse in sua Scientia falli. sed ideo solùm peccant, quia negant Deum per hæc signa & motiva credibilitatis loqui: ergo qui hoc negando debent negare aliquod prædicatum Veracitatis Dei; nemo enim facit Deum mendacem, nisi qui negat ejus veracitatem: ergo vt omnis infidelis faciat Deum mendacem, debet Veracitas Dei includere hoc prædicatum: Deum non posse permittere tantam apparentiam motivorum credibilitatis, quin loquatur. Supponunt autem, (quod & ego verum existimo) motiva credibilitatis esse vltimum complementum locutionis divinæ, prout ad nos directa.

76. Ex hoc fundamento deducunt, quòd respectu simplicium, non possint esse eadem motiva credibilitatis pro articulo vero & falso æqualiter proposito à parocho, quia hæc possunt poni, quin Deus loquatur per illa, sed debere dari aliquod supernaturale discerniculum objectivum pro articulo vero, quod non apparet rustico pro articulo falso. Hujus discerniculum suprà mentionem fecimus, & contra illud infra disputabimus. Nunc solùm examinabimus, an ad Veracitatem Dei pertineat, hoc prædicatum ab adversarijs assertum, quidquid sit an definita motiva credibilitatis habeant sibi identificatum hoc prædicatum. *Non posse existere per vllam potentiam, quin sint locutio Dei, aut connexa cum locutione Dei:* nam de hoc infrà agemus.

Et ecce! dum hæc scribo, traditur mihi scriptum Romanum Professoris Hispani, ob doctrinæ claritatem & soliditatem jam passim celebratum, quo discerniculum acriter refutatur, & defenditur doctrina communis jam à me indicata. Hoc scriptum infrà pro confirmatione dicendorum producam. Nunc ad propositum,

77. DICO. Veracitas Dei prout est motivum formale fidei, non includit hanc perfectionem divinam: *Non posse permittere tantam apparentiam, quantam habent motiva credibilitatis quin Deus loquatur.* Probatur 1. Si hanc perfectionem includ-

includeret, esset hæc perfectio non minùs objectum formale fidei, quàm est Veracitas Dei in dicendo, & Infallibilitas in cognoscendo. hoc est falsum. ergo & thesis. Sequelam docent & admittunt adversarij. Minor probatur. Si hoc esset verum, tum omnis infidelis nolens credere, hæc Motiva credibilitatis esse indispensabiliter, seu per essentiam suam locutionem Dei, non minùs esset Blasphemus, quàm qui nollet credere Deum esse Veracem in dicendo, & infallibilem in cognoscendo: hoc est paradoxum inauditum. ergo &c. Sequela probatur. Omnis ille est blasphemus, qui negat Deo aliquam Perfectionem, quam tenetur credere inesse Deo: sed secundùm adversarios omnis infidelis, nolens credere hæc motiva credibilitatis esse locutionem Dei per essentiam suam, negat Perfectionem Deo, quam tenetur credere: Ergo est blasphemus, non minùs quàm qui diceret Deum falli in sua Scientia, mentiri, esse injustum &c. Major est evidens. Minor est doctrina adversariorum in terminis. Consequentia tenet. Quòd autem hoc sit paradoxum inauditum, non habet opus probatione. adducant adversarij auctorem, qui hoc in terminis asseruerit.

78. Probo nunc Conclusionem 2. permittendo adversarijs, quòd motiva credibilitatis sint per essentiam suam locutio Dei. Jam sic. Deum non posse ponere motiva credibilitatis, quin sint locutio Dei; formalissimè non est aliud, quàm: Deum non posse mutare essentias rerum. Sed hæc non est perfectio divina pertinens ad Veracitatem Dei, tanquam objectum formale fidei, immò nulla penitùs est perfectio divina. ergo falsa est doctrina adversariorum. Major est evidens. sicut enim hoc quod est: Deum non posse facere Hominem, quin faciat animal rationale, aliud non est, quàm: Essentiam hominis esse, animal rationale, Deúmque non posse mutare essentias rerum; ita hoc quod est: Deum non posse ponere hæc motiva credibilitatis, quin sint locutio Dei, aliud non est, quàm hæc motiva credibilitatis esse essentialiter locutionem Dei, & Deum non posse mutare essentias rerum. Quòd autem hoc non sit specialis perfectio divina (ne dum prædicatum Veracitatis) patet ad oculum: nam, non solùm Deus non potest mutare essentias rerum, sed nec vlla creatura hoc potest: hoc ergo nec est perfectio, nec imperfectio. Est quidem perfectio divina, posse producere rerum essentias, nimirum Omnipotentia: sed non posse mutare essentias, non est perfectio formaliter divina, sed est prædicatum identificatum cum ipsis rerum essentijs, & etiam cum Deo in eo sensu, quo Deus (juxta phrasin Recentiorum) est omnium possibilium possibilitas, & omnium impossibilium impossibilitas. Sed quid hoc ad Veracitatem?

79. Probo Conclusionem 3. Ex adversariorum Sententia sequitur, in foro externo esse habendum pro hæretico, vel ad minimùm pro suspecto de hæresi, qui in aliquo libro scriberet ex animi sui sententia, hæc verba. *Adhæreo firmissimè Ecclesiæ Romanæ, eámque omnibus sectis præfero, propter speciales prærogativas quibus à Deo ornata est, quas omninò firmissimè credo esse connexas cum testimonio Dei de Veritate Romanæ Ecclesiæ, & quòd hoc non possit nisi per summam impudentiam & imprudentiam in dubium aut suspicionem vocari. Verum autem per absolutam Dei potentiam possent hujusmodi motiva credibilitatis non esse locutio Dei, ego nolo disputare, sed ab hoc præscindo, & nec affirmo nec nego, quia ad hoc non teneor, & est supra meum captum.* Hic, inquam, posset in foro externo haberi suspectus de hæresi. consequens est explosione dignum. Ergo &c. Sequela probatur. Nam ille potest esse suspectus de hæresi, qui non vult credere Veracitatem Dei sub eo conceptu, sub quo omnes fideles tenentur eam credere; sed secundùm adversarios omnes fideles tenentur credere Veracitatem Dei sub tali conceptu, sub quo iste homo dicit, se nolle credere, sed præscindere, vt patet: Ergo &c. Sed videamus nunc quid ponderis habeat subtilis illa probatio adversariorum num. 2. relata.

80. Respondeo & dico, adversarios manifestè abuti S. Scripturâ ad probandum suum intentum. Scriptura nuspiam dixit, nec nisi ridiculè & absonè dicere posset, eum dicere Deum mendacem, qui non credit Deum loqui per hæc motiva credibilitatis quæ sunt locutio Dei. An non enim ridiculum esset, dicere, aliquem arguere alterum mendacij & mendacitatis, dum dicit eum non loqui? an non mentiri est contra mentem loqui? quomodo ergo potero dicere te non loqui, & tamen esse mendacem? & tamen secundùm adversarios hoc faceret quivis infidelis, etiam dum disertè dicit, se non credere, quòd Deus sit locutus. an non hoc est mutare essentias rerum?

81. Itaque Scriptura non dicit, quòd qui non credit, *dicat Deum mendacem*, sed quòd *faciat Deum mendacem*. aliud autem est: quantùm in se est, velle Deum facere mendacem, & aliud dicere, Deum esse mendacem. Nam vt notant Cornelius à Lapide, Lorinus, & alij, Infidelis facit Deum mendacem operibus & facto, quantùm in se est, quia dum dicit: v. g. *Verbum non est incarnatum.* asserit pertinaciter aliquid, quod si verum esset, Deus defacto esset mentitus. & hic est sensus genuinus & clarissimus. Potest deinde adhuc alium habere sensum. Infidelis nolendo credere, negat Veracitati Dei hîc & nunc loquentis & obligantis ad credendum, negat, inquam, illi obsequium intellectuale assensûs, ad quod agnoscit se obligari: ergo quantùm in se est, privat Veracitatem Dei fine ad quem est instituta: vult ergo Veracitatem reddere infructuosam & irritam, adeoque nullam, sicut qui negat alteri subjectionem debitam, vult in effectu irritam & inanem reddere alterius Jurisdictionem. Qui autem vult irritam reddere alterius Veracitatem, hoc ipso vult in effectu (non dico affectu)

reddere mendacem, vel omninò mutum. Ergo &c. Ex his omnibus apparet, ad Veracitatem Dei non pertinere hoc prædicatum. *Non posse permittere hanc apparentiam, quin Deus per illam loquatur.*

82. DICES. Sit ita: saltem pertinebit ad Veracitatem Dei hoc prædicatum: Deum non posse loqui, quin loquatur per talem apparentiam, quæ sit essentialiter locutio Dei. Sed moneo adversarios, ne huc confugiant. Nam etsi illi asserant veram esse hanc propositionem, fateri tamen debent, eam non esse fide divinâ credendam: adeo enim non est de fide, vt vix mereatur nomen opinionis, cùm illi contradicant omnes Theologi, exceptis discerniculi patronis, qui sunt quàm paucissimi. Contradixit illi recentissimè Hispanus Theologus suprà laudatus ex eadem Theologica cathedra, ex qua adversariorum propositio primò (quod sciam) prolata est. Contradixit, inquam, illi dum prolixè contendit ex recepta Theologorum doctrina (pro qua in specie citat Valentiam, Tannerum, Granadum, Lugonem, Conink, & ego duplo plures afferam inferiùs) posse paria motiva credibilitatis defacto dari, tam respectu articuli veri quàm falsi, & in priore casu sufficere, vt in executione ponatur actus fidei supernaturalis.

CONTROVERSIA V.

Quomodo Fides nostra nitatur Revelatione Dei: vbi vltima Fidei Resolutio declaratur.

83. RESolutio alicujus actûs intentionalis aliud non est, quàm explanatio vltimi motivi seu objecti formalis, in quo ille actus vltimò sistit, ita vt illi immediatè, & propter se adhæreat; estque illud quod interroganti, cur hoc vel illud affirmet, redditur vltimò pro ratione, ita vt non possit vlterior interrogatio institui. v.g. hujus argumenti Conclusio: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* hæc inquam conclusio dicitur resolvi in suas præmissas: quia interroganti, cur omnis homo sit risibilis, redditur ratio: quia est rationalis, & omne rationale est risibile. interroganti autem vlteriùs, cur omnis homo sit rationalis, non redditur alia ratio, quàm quòd hæc sit essentia hominis, & interroganti, cur omne rationale sit risibile, non redditur alia ratio, quàm, quòd risibilitas sit proprietas rationalitatis.

84. Quomodo autem Fides resolvatur in Veracitatem, dictum est suprà. Major difficultas nascitur ex parte revelationis. Quando enim quis interrogatur, cur credat Incarnationem, non est satis, si respondeat: *quia Deus verax est:* si enim Deus Incarnationem nunquam testatus esset, non possemus ab ejus Veracitate magis moveri ad affirmandam Incarnationem, quàm ad affirmandum, sydera esse paria. Est ergo in responsione addendum: *Quia Deus dixit.* Hinc autem oritur difficultas. Quando enim dicis: *Quia Deus revelavit:* vel loqueris de aliqua locutione divina præsente, quæ tibi immediatè ab Deo, & non apparet, quænam illa sit, vel loqueris de revelatione aliqua præterita, factâ olim Moysi, Prophetis, Apostolis &c. atqui hæc res non est immediatè manifestata, aut ex terminis nota: ergo non potes illi immediatè assentire: ergo necesse est vt illi assentiaris propter aliquod medium. quæritur ergo iterum. vel hoc medium est alia quædam locutio divina, & de illa rectè rotum argumentum: vel est aliquid aliud: & sic non resolvetur fides in locutionem divinam, sed in aliquid aliud, quod est absurdum.

85. Declaratur difficultas ampliùs. Etenim si Gentilis clarè & rectè apprehendat, quid sit Veracitas, quid locutio Dei, item quid sit Incarnatio, horum tamen objectorum apprehensione nunquam determinabitur aut inclinabitur ad asserendum Verbum esse incarnatum, nisi appareat aliquid aliud, cum quo appareat esse connexum revelatio Incarnationis: ergo assensus revelationis videtur vlteriùs resolvendus in aliquid aliud. Sicut enim, cùm quæritur à nobis, cur credamus Verbum esse incarnatum, non respondemus, hoc nobis esse ex terminis notum, sed quia Deus summè verax revelavit: ita si quæratur à nobis vlteriùs: vnde moveamur ad credendum, quod Deus hoc aliquando revelaverit, debemus praeter vlteriorem rationem reddere, cùm nobis revelatio Dei æquè parùm immediatè innotescat, atque ipsum mysterium Incarnationis. Porro non apparet aliud, quàm v.g. propositio Ecclesiæ, quæ nobis innotescit per Pastores & Doctores, & alia testimonia: atqui hæc omnia sunt humana, & in quantùm sunt humana, sunt fallibilia, fides autem debet niti authoritate infallibili; neque etiam esset fides divina, hoc est credens Deo, sed humana, quâ tandem vltimò credemus homini. ergo neque in hæc resolvi potest fides Theologica.

86. Quodsi dicas, Ecclesiam esse infallibilem, vrgetur: quia de hac infallibilitate, cum sit articulus fidei, sicut est Incarnatio, reditur totum argumentum: neque enim ea constat immediatè ex terminis. Deinde Ecclesia non loquitur regulariter suis fidelibus nisi per Pastores & Doctores, qui tamen non habent donum infallibilitatis, atque promissam assistentiam Spiritus Sancti, sicut habuerunt Apostoli. Et hæc est difficultas præsentis Controversiæ, in qua nunc aliorum opiniones referemus.

87. Sectariorum quidem, præsertim Libertinorũ & Schwenckfeldianorum error fuit, fidem nostram tandem resolvi in Spiritum privatum, hoc est in inspirationem seu locutionem quasi privatam, & internam, quâ Deus homini interiùs manifestat, quis sit sensus hujus vel illius loci S. Scripturæ.

88. Contra

88. Contra hunc errorem pugnant nostri Controversistæ, dum agunt de Judice Controversiarum. Pro ratione nostri instituti rejicitur 1. ab experientia: Nos enim talem superhumanam locutionem in nobis non experimur: deberemus autem experiri, quia adversarij volunt, nos non credendo, prout illi credunt, peccare: ergo ideo peccamus, quia Deo interiùs loquenti non credimus: ergo deberemus hanc locutionem reflexè cognoscere & experiri, quòd Deus nobis loquatur. 2. Quia ista interna locutio Dei ab adversarijs confictà, facit Deum mendacem: nam illi jactant, hanc inspirationem sibi factam etiam pro contradictorijs, quatenus sæpè suos articulos fidei mutârunt 3. Quia cùm fides sit ex auditu, ad Rom. 10. Non est exspectanda hæc revelatio privata, sed nascitur obligatio credendi, quando publicâ auctoritate sufficienter proponitur, quod credendum est. Verùm hodierni etiam ab hoc articulo suo multùm recedunt, vt videre est in Amesio. Relictis ergo his erroribus, sententias Catholicorum aggrediamur.

§. I.

Rejicitur Sententia resolvens Fidem in Lumen internum Fidei.

89. PRima Sententia solet referri eorum, qui videntur docere, Fidem nostram vltimò resolvendam esse in Lumen internum Fidei. Ita videtur sentire Bannez, Aragonius, Canus, quos refert & sequitur Granadus *Tr.* 1. *disp.* 5. *s.* 5. *& seqq.* Verùm hi AA. si rectè intelligantur, non loquuntur de resolutione fidei in suum motivum formale Quod, sed in caussam efficientem (vt in terminis se & S. Thomam explicat Aragonius) vel in rationem formalem Quâ applicatur ipsum motivum formale Quod. Et quia de hac resolutione non est quæstio, ideo difficultatem non solvunt. Quòd autem in priore sensu loquantur, patebit ex eorum fundamentis & objectionibus.

90. DICO 1. Videtur esse innegabile, quòd Deus hominibus revelaverit aliqua per immissionem alicujus illustrationis miraculosæ, quæ reflexè & experimentaliter cognita fuit motivum aliquid credendi, & habuerit rationem divinæ locutionis. Declaratur in exemplis. Quando S. Petrus Act. 10. in mentis excessu per lintei descensionem & cætera ibi narrata, fuit edoctus, Gentes ad Evangelium admittendas esse (idem dico de innumeris alijs ejusmodi raptibus & visionibus objectorum à parte rei non existentium, sed miraculosè apparentium acsi existerent, quibus plena est Apocalypsis) hujusmodi visio postmodum reflexè cognita poterat deprehendi, quòd hic & nunc non potuerit naturali motu & viâ excitari, sed vel à Deo, vel à dæmone. accedente deinde examine per Regulas quas tradunt Ascetæ pro discernendis spiritibus, fiebat prudenter credibile, quòd non à dæmone, sed à Deo sit immissa, & quidem in eum finem, vt cognosceretur tale objectum revelatum. quo casu cognitio reflexa & experimentalis supra illam illustrationem miraculosè immissam, fundat Judicium de credibilitate objecti, dictans, dignum esse creditu, Deum nunc mihi loqui, ipsa autem illa illustratio habet rationem locutionis passivæ: & ideo rectè potest in tali casu actus fidei resolvi in talem illustrationem, prout subit rationem locutionis, & objecti reflexè cogniti. Quantùm autem hæc illustratio differat ab illustratione discerniculari, quam aliqui RR. attribuunt de via ordinaria rusticis, nempe, toto cælo, patebit ex dicendis suo loco, quando talis illustrationis implicantiam probabo.

91. DICO 2. Loquendo de fide prout elicitur de via ordinaria, resolutio fidei non potest fieri in ejusmodi illustrationem. Probabitur Conclusio ex dicendis de motivis credibilitatis vniversalibus. Nunc breviter Probatur. In illud debet fieri resolutio fidei, quod vltimò reddimus pro ratione, quare credamus v. g. Mysterium Incarnationis. atqui pro ratione vltima non reddimus aliquam illustrationem similem illis, de quibus in priore Concl. locuti sumus. Ergo &c.

92. Objic. 1. Ex Epist. 1. Jo. c. 5. Qui credit in Filium Dei, habet Testimonium Dei in se. ℟. Testimonium Dei esse locutionem Dei, quam dicimur habere in nobis objectivè, non subjectivè. sicut dicimur habere in nobis secreta quæ alius nobis communicavit.

Objic. 2. Fides resolvenda est in illud, à quo determinatur intellectus ad eliciendum potiùs assensum supernaturalem quàm naturalem: atqui hoc non est veracitas Dei aut Revelatio, nam hæc etiam per actum naturalem attingi possunt. sed determinatio provenit ab illustratione supernaturali: ergo fides resolvenda est in illustrationem supernaturalem. ℟. Dist. majorem. Si loquamur de Resolutione Fidei in caussam efficientem, concedo. si loquamur de resolutione in caussam motivam ex parte objecti, nego. & distinguo minorem. Illustratio est talis caussa determinativa in genere applicationis & principij effectivi, concedo minorem, in genere caussæ objectivæ & motivæ, nego minorem: & eodem modo distinguo consequens. Ergo fides est resolvenda in illustrationem supernaturalem, loquendo de resolutione in caussam efficientem, concedo conseq. loquendo de resolutione in motivum formale, nego Conseq.

§. II.

Rejicitur Sententia resolvens Fidem in Revelationem Dei tanquam in meram conditionem.

93. PLurium sententia est, Locutionem Dei habere se respectu actûs fidei tanquam meram conditionem, & solam Veracitatem esse motivum adæquatum.

DICO,

DICO, Revelationem Dei, quæ vltimò reddit aliquod objectum credibile, esse partiale motivum formale. Probatur 1. Ex SS. Litteris, in quibus semper fides reducitur ad Verbum Dei, ejusdémque testificationem, & non aliter reducitur ad auctoritatem Dei, quàm ad ipsam loquelam Dei, hoc est, pariter ad vtrumque. Confirmatur. Nam S. Scriptura loquitur semper de Verbo Dei tanquam de caussa & virtute caussativa fidei, quo modo nunquam loquimur de conditionibus applicativis virtutis v.g. Sermo Dei dicitur esse infallibilis, certus, hoc est, certificans, firmus &c. nemo autem dicit quòd applicatio ignis calefaciat &c.

94. Probatur 2. Illud tenet se ex parte motivi respectu Fidei, per quod in ordine ad nos, & ad impetrandum assensum fidei qua talem, connectitur prima Veritas cum objecto: atqui hoc facit revelatio. Ergo &c. Major patet. Nam quando vni assentimur propter aliud, assentimur propter connexionem cum illo: ergo id per quod habetur formaliter talis connexio, habet rationem motivi formalis. Minor verò probatur. Nam licet Scientia Dei habeat quoad se connexionem cum objecto, hæc tamen connexio non apparet nobis immediatè, alioquin Deo tacente sciremus omnia quæ scit Deus: ergo debet aliquid aliud supervenire, quod nobis immediatè innotescat, & quod habeat connexionem cum Scientia Dei de tali determinato objecto. & hoc non est aliud quàm locutio Dei: ergo per hanc connectitur quoad nos Veracitas & Scientia Dei cum tali determinato objecto: ergo habet rationem motivi.

95. Probatur 3. Actus fidei est ad minimùm discursus virtualis, vt communiter docetur. ergo illud omne est motivum fidei, quod haberet pro motivo formali Syllogismus formalis, in quem ille virtualis resolveretur: atqui Syllogismus formalis haberet pro motivo formali partiali revelationem Dei: ergo eandem habet etiam actus fidei. Minor patet ex suprà dictis, vbi ostensum est, quòd medius terminus sit: *Dictum à Deo veraci.* v. g. Omne quod Deus verax dixit esse incarnatum, est incarnatum: Sed Verbum est, quod Deus dixit esse incarnatum: ergo Verbum est incarnatum. Vbi apparet, quòd non minùs revelatio quàm Veracitas constituat conceptum objectivum medij termini.

96. Objicies 1. Si fides haberet pro motivo partiali aliquid creatum, nempe revelationem passivam seu externam, sequeretur eam non esse virtutem Theologicam, sed tantùm virtutem moralem: consequens dici non potest. Sequela probatur. Quia Virtus Theologica differt à morali per hoc, quòd ipsius motivum sit aliqua perfectio divina, & increata. R. Negando sequelam. Disparitas est, quòd Virtus Theologica habeat saltem partiale motivum increatum, non item vlla Virtus moralis, quæ semper pro motivo formali habet aliquam honestatem objectivam creatam. Simili modo differunt inter se effectus Naturalis & Supernaturalis, quòd Naturalis possit habere principium adæquatum naturale, Supernaturalis verò habeat saltem principium inadæquatum supernaturale.

97. Objic. 2. Quidquid est indifferens ad falsitatem, & veritatem, non potest esse motivum fidei divinæ: sed locutio externa est indifferens ad veritatem & falsitatem: ergo &c. R. Distinguendo majorem; Non potest esse motivum adæquatum, concedo: inadæquatum, nego. sufficit enim, quòd, quando conjungitur cum alterò motivo partiali, nempe cum veracitate, tanquam effectus cum caussa, non sit indifferens ad veritatem & falsitatem. Simili modo, id quod est indifferens ad pulchrum vel turpe, non potest esse motivum adæquatum complacentiæ, bene tamen motivum inadæquatum, quia talis fiunt v.g. conjuncta cum tali naso, est objectum complacentiæ, si conjungeretur cum alio naso, esset objectum displicentiæ.

98. Objicies 3. Visio Beata succedit fidei: ergo vtriusque objectum formale est idem: atqui Visionis Beatæ objectum formale est ipse Deus, & nihil aliud: ergo & fidei. R. Negando consequentiam & paritatem. Nam primò, Visio Dei videt Deum intuitivè, & in Deo videt connexionem cum rebus creatis, quæ connexio non apparet nobis inter Veracitatem Dei & objecta quæ Deus scit, nisi accedat revelatio. Secundò. Visio beatifica est simpliciter necessaria, & metaphysicè evidens, fides autem est libera & obscura: ergo debet illi obscurè apparere connexio inter motivum formale & objectum materiale: hæc autem obscuritas non habetur à Veracitate obscurè cognitâ, nam hanc plurimi evidenter cognoscunt: ergo debet aliunde provenire, nempe à locutione, quatenus nimirum nobis non est evidens, hæc signa externa hìc & nunc habere connexionem cum locutione Dei. Hinc ergo potiùs confirmatur Conclusio: quia illud à quo fides specificatur in ratione libertatis & obscuritatis, debet pertinere ad motivum formale: atqui hoc non est aliud quàm locutio Dei: ergo &c.

§. III.

Rejicitur sententia resolvens Fidem in revelationem præteritam.

99. CElebris antehac erat sententia, Fidem nostram resolvi in Veracitatem & Revelationem præteritam Dei, ita quidem vt ipsi revelationi præteritæ quæ facta est Prophetis, Apostolis &c. non aliter ac ipsi Veracitati Dei assentiamur immediatè propter se, sed obscurè. Vnde licet intellectus non habeat aliam rationem formalem assentiendi ipsi revelationi, quòd existat & sit locutio Dei, habet tamen voluntas suam motiva credibilitatis sibi proposita, propter quæ prudenter imperat assensum immediatum ipsius revelationis, ac proinde illa motiva credibilitatis, v.g.

v.g. propositio Ecclesiæ habentis tales notas veræ & infallibilis Ecclesiæ, non sunt ratio formalis motiva ipsius fidei; sunt tamen conditio applicans ipsam revelationem præteritam tanquam motivum; sicut propositio Magistri non est ratio formalis assentiendi conclusioni Mathematicæ, est tamen conditio applicans illa motiva, propter quæ discipulus assentitur conclusioni. Aliud exemplum adhibent in colore, qui quidem videtur immediatè, sed non nisi interveniente illuminatione, quæ tamen non est motivum, sed solummodo conditio sine qua non videretur color quantumvis præsens. Alia duo exempla addit P. Michaël d' Elisalda. Voluntas non potest ferri nisi in Bonum propositum, & apparens nobis, in ipsam tamen apparentiam non fertur, nec tangit illam, sed est mera conditio. item quando mihi aliquis ignorantissimus persuadet, hunc librum esse S. Augustini (quod aliunde scire poterat) si ego deinde legam aliquod assertum à S. Augustino in illo libro, & illud credam, non credo propter auctoritatem illius ignorantis, sed propter auctoritatem S. Augustini. His exemplis arbitrabantur DD. ante hac, totam præsentem difficultatem expediri. Verùm, rem aliter se habere detexit Lugo, & post illum Perez, Pallavicinus, Esparza, alij, cum quibus

100. DICO, hanc fidei resolutionem non sufficere, sed omninò fatendum esse, quòd assensus fidei attingat aliquid tanquam motivum præter revelationem præteritam, non immediatè factam credenti, sed alteri v.g. Prophetæ. Probatur Conclusio primò, ad hominem contra adversarios, qui in hoc puncto non tenent doctrinæ consequentiam. Fatentur, inquam, illi, ipsum Mysterium revelatum, v.g. Trinitatem aut Incarnationem, non posse à nobis vllo modo immediatè credi in se, præciso omni motivo alio, sed debere simul attingi aliquid tanquam motivum, nempe auctoritatem Dei revelantis, & hoc ideo, quia Trinitas aut Incarnatio non apparet ex terminis & immediatè in se affirmabilis, nec vt habens vllam vim inclinandi ad assensum, quantumvis bene penetrentur termini. quo supposito sic argumentor. Tota hæc ratio cogens ad assignandum aliquod distinctum motivum credendi mysterium Trinitatis, probat etiam esse necessarium motivum distinctum ad credendam revelationem præteritam alteri factam: ergo non possum illi revelationi præbere assensum immediatè ex terminorum apprehensione, sed id debet fieri propter aliud motivum immediatè apparens, vt habens connexionem cum revelatione præterita. Antecedens patet: tam enim est remota à mea intelligentia revelatio illa præterita, alteri facta, quàm ipsum mysterium: & sicut homini educato in sylvis non fit credibile mysterium Incarnationis præcisè per apprehensionem terminorum horum: *Incarnatio*, *Verbum*, *Existentia*, ita nec fit credibilis illa præterita revelatio præcisè per apprehensionem hujus objecti & terminorum: *Revelatio facta Prophetis*.

101. Respondere conatur P. Michael d'Elisalde ad hanc ingentem (vt ipse fatetur) difficultatem, assignando disparitatem inter Mysterium, & revelationem præteritam. Incarnatio tametsi habeat in se Veritatem in essendo, non habet tamen in se veritatem in dicendo. Nobis autem in via non apparet immediatè veritas in essendo: ergo non possumus illi immediatè assentiri. At verò Sermo Dei non tantùm habet in se Veritatem in essendo, sed etiam Veritatem in dicendo; hoc est, sermo Dei non potest esse falsus, & hoc nobis immediatè etiam in via innotescit: ergo possumus illi immediatè assentiri.

102. Hæc tamen responsio non solvit, sed eludit argumentum, confusione eorum quæ sunt distinguenda. Aliud est: Sermonem Dei, qui verè est sermo Dei, hoc est à Deo ad nos directus, non posse esse falsum si existat: & aliud, hanc vocem ab hoc homine, vel ab hoc Angelo prolatam, esse sermonem Dei, hoc est, esse sermonem à Deo ad nos directum: Vel breviùs: aliud est, sermonem Dei si existat, esse verum; & aliud: defacto existere sermonem Dei, quòd Verbum sit incarnatum. Illud prius est evidens, & reipsâ aliud non est, quàm Deum esse veracem. posterius est obscurum. ad credendum autem mysterium Incarnationis non sufficit, mihi innotescere Deum esse veracem, &, si existat ejus sermo, dicens Verbum esse incarnatum, illum esse verum, sed insuper requiritur vt possim judicare, & defacto judicem, existere talem sermonem Dei: & quia hoc solum est obscurum, debet hoc à fide judicari, alioquin fides ex nullo capite esset obscura, nec assentiretur Incarnationi absolutè, sed tantùm conditionatè: *Si existat Sermo Dei hoc dicens*. Jam verò, cùm sermo Angelorum v.g. factus ad Pastores Bethleemiticos, nobis non sit immediatè factus, sicut pastoribus, tam est impossibile, nos illius existentiam immediatè credere, quàm ipsam Incarnationem. Est ergo tantùm materialis differentia inter hæc, & sicut ad posterius, ita ad prius opus est motivo distincto.

Videamus nunc, quid probent exempla ab adversarijs allata ad declarandam suam sententiam. Dico, ea vel non facere ad propositum, vel facere pro nobis.

103. Imprimis propositio Magistri quantumvis mendacis & nullius fidei, facta discipulo, est conditio applicans motiva conclusionis, quia illius beneficio excitantur in discipulo species intellectuales, repræsentativæ objecti formalis, seu illius ipsius motivi, quo ipse Magister movetur ad assensum, & ideo illud motivum jam antè aliquo modo præexstiterat in semine suo in intellectu: deinde beneficio specierum excitatarum, generatur apprehensio suasiva primorum principiorum, quæ ex terminis nota sunt: v.g.

 à puncto

à puncto ad punctum potest duci linea: quævis linea potest dividi in duas partes æquales &c. vnde auditis hujusmodi propositionibus, à quocunque, psytaco vel asino etiam prolatis, posset ingeniosus auditor venire in notitiam Conclusionis mathematicæ. Non ita se res habet in casu nostro: nam etiamsi mihi homo mendax & nullius fidei, vel amens, diceret aut scriberet hæc verba: *Verbum est incarnatum:* tam parùm excitabit in me species & apprehensionem suasivam illius mysterij, quàm si mihi diceret, me futurum Papam.

Æquè abs re est alterum exemplum, de luce & colore. Nam licet nostra potentia Visiva sit ejus naturæ, vt objectum videre non possit, nisi simul videat lucem in objecto terminatam, ideo tamen lux non est ratio motiva ad Visionem coloris, quia Visio non est cognitio vnius in alio, aut ex alio, sed caussatur immediatè à colore, transmissis proprijs speciebus, quæ licet sine speciebus lucis non possint caussare Visionem, concurrentibus tamen speciebus coloris, caussatur Visio lucis & coloris. Pari modo, quando quis audit ab alio, exstitisse aliquando revelationem Incarnationis, non potest apprehendere revelationem, quin simul apprehendat vocem hoc dicentis, & in hoc est paritas aliqua cum Visione coloris & lucis, quæ est mera simplex apprehensio. cæterùm aliud est apprehendere objectum quomodocunque, & aliud apprehendere apprehensione suasivâ, hoc est, ostendente aliquam probabilitatem in objecto. Non enim omne quod apprehenditur, hocipso apparet probabile, alioquin nihil esset improbabile. Sicut ergo apprehensio Incarnationis non ostendit probabilitatem ipsius Incarnationis, ita apprehensio revelationis præteritæ, non ostendit hoc ipso probabilitatem illius.

104. Tertium exemplum nihil declarat. Quando dicitur, quòd voluntas non tendat in ipsam apparentiam objecti; hoc solùm verum est, intelligendo per apparentiam ipsam cognitionem objecti, & potest dici apparentia formalis vt Quo, quam vtique volitio non attingit: sicut quando assentimur alicui objecto, quod per apprehensionem suasivam ostenditur probabile, non attingimus reflexè & *vt quod*, ipsam apprehensionem: hæc sunt verissima, sed nihil ad nostrum propositum: quia hinc nullo modo ostenditur, vt tamen deberet ostendi, quòd revelatio præterita possit mihi immediatè reddi affirmabilis, quo modo non potest immediatè reddi affirmabile ipsum Mysterium revelatum; neutrius enim apprehensio sufficit, quia non sunt objecta, quæ ex terminis bene penetratis redduntur & apparent probabilia, cujusmodi est hoc objectum: *Mater per se loquendo diligit filium: cuivis in sua arte perito potiùs credendum est, quàm minùs perito. &c.*

105. Quartum exemplum facit pro nostra Conclusione. Nam in casu posito ita credo S. Augustino, vt tamen hæc fides denique nitatur fide quâ credo asserenti, hunc librum esse S. Augustini, & illius hoc dicentis auctoritas est motivum vltimum, & mensura totius assensûs, quia hunc librum esse S. Augustini non est mihi immediatè notum, sed innotescit per auctoritatem id asserentis: ergo pari modo, vt revelatio præterita mihi reddatur credibilis, debet in alio innotescere, quod habebit rationem motivi & mensuræ mei assensûs.

106. P. Arriaga *disp. 3. de fide à n. 47.* conatur paulò aliter satisfacere præsenti difficultati. Conatur, inquam, ostendere, quomodo ad credendam immediatè revelationem præteritam, non requiratur aliud motivum, in quod tendat assensus fidei, quo credo revelationem exstitisse, sed quòd sufficiat propositio Ecclesiæ vel parochi, quæ habeat solùm rationem conditionis applicantis. Si enim esset aliqua necessitas dicendi, quòd propositio Ecclesiæ de existentia revelationis præteritæ haberet rationem motivi, hoc ideo esset, quia haberet se instar premissarum respectu Conclusionis: sed hoc est falsum. Nam objectum præmissarum est formaliter diversum ab objecto Conclusionis: objectum autem propositionis Ecclesiæ ne quidem formaliter est diversum ab objecto ipsius actûs fidei, quo credo exstitisse hujusmodi revelationem: nam propositio Ecclesiæ hocipsum formaliter dicit: *Existit revelatio Incarnationis.*

107. Sed Contra. Si hæc responsio bona esset, statim posset pari facilitate dici, quòd ipsum etiam Mysterium possit imediatè & sine omni motivo credi, adeoq; neque revelationem præteritam habere rationem motivi. Nam objectum illius revelationis præteritæ est formalissimè illud ipsum, quod est objectum actûs fidei, nimirum, *Datur Incarnatio.* Hinc apparet responsionis fallacia: Confunditur enim objectum propositionis Ecclesiæ, cum ipsa propositione Ecclesiæ. Concedimus ergo, quòd objectum propositionis Ecclesiæ non sit motivum ad credendum id, quod proponit Ecclesia credendum; hæc enim sunt formalissimè idem; sed contendimus, quòd vel ipsa propositio Ecclesiæ, vel saltem aliquid aliud, quidquid illud sit, debeat habere rationem motivi ad credendum, quòd extinxerit revelatio præterita: quia cùm revelatio præterita immediatè & in se non appareat, debet apparere in aliquo alio secum connexo, & hoc habebit rationem motivi, ad credendum exstitisse revelationem, vel saltem constituet objectum adequatum assensûs immediati, quo judicemus dari connexionem illius cum revelatione præterita: neque enim contendo, debere esse actum formaliter illativum.

§. IV.

Refertur Sententia resolvens Fidem in Authoritatem Ecclesiæ, vt est Authoritas merè Humana.

108. CElebris etiam fuit sententia, resolvens fidem in Auctoritatem Ecclesiæ, propter quam credimus mysterium Incarnationis fuisse aliquando revelatum à Deo. Hæc igitur auctoritas Ecclesiæ, dicunt, est quidem motivum propter quod credimus Deum revelâsse Incarnationem, sed non est illa auctoritas cui credimus Incarnationem, hanc enim vnicè credimus Deo revelanti. Sicut, si mihi Petrus discipulus diceret, se legisse in S. Thoma talem sententiam, ego quidem crederem illi, quòd in S. Thoma talis sententia exstet, sed non propterea crederem Petro, quòd talis sententia sit vera, sed si crederem, propter auctoritatem S. Thomæ crederem.

109. Hanc sententiam Card. de Lugo firmat auctoritate, & satisfacit objectionibus omnibus quibus communiter impugnabatur. Pro ea citat Scotum, Durandum, Gabrielem, Okamum, Medinam, Bannez, aitque aliquos testari, Gabrielem Vasquez multùm in hanc sententiam inclinâsse: deinde putat etiam illi favere P. Conink. Ipse verò Lugo impugnat hanc sententiam adeo breviter & frigidè, vt legenti nullum dubium relinquat, quòd nisi ipse Lugo faciliorem viam invenisset, hanc sententiam omnibus alijs prætulisset.

110. Imprimis ait, illam sententiam sibi non esse tenendam, eò quòd sit contra communem sensum Theologorum; præsertim Recentiorum. Sed hoc nihil vrget. primò, quia sufficeret, quòd multis gravibus antiquis placuisset, & nullo insolubili argumento premeretur, quod vtrumque fatetur Lugo. deinde dicerent adversarij, eam immeritò displicere Recentioribus, cùm eam nec efficaciter impugnent, nec afferant meliorem. Adde, non deesse RR. qui eam tueantur.

Deinde objicit Lugo, quòd in hac sententia Fides nostra non sit adæquatè divina, sed partialiter Humana. Ad hoc tamen ipse Lugo jam respondit n. 61. nostram fidem esse quidem Humanam, quatenus assentimur ipsi revelationi, esse tamen adæquatè divinam, quatenus assentimur Mysterio. Declarat hoc Lugo exemplo. Si Nuntius dicat, Regem promittere suum adventum, credimus quidem nuntio, Regem promisisse adventum, ipsum autem adventum futurum non credimus nuntio, sed credimus Regi promittenti: & sic est fides regia, seu regi exhibita. Idem exemplum est quod supra attulimus de libro S. Augustini, aut sententia S. Thomæ. Existimat insuper Lugo, & fusè probat à n. 58. nec Scripturam nec PP. plus exigere.

111. Ego hanc sententiam non aliter rejicio, quàm hoc modo. Si potest ostendi, & sufficienter probari, ea omnia, per quæ nobis revelatio præterita innotescit, & applicatur credibilis, esse constitutiva locutionis divinæ, & complementa illius, non est dicendum, fidem saltem partialiter resolvi in aliquid merè humanum: jam enim illa omnia erunt *quoad modum* divina. sed possumus hoc facere. Ergo. Majorem nemo adversariorum negaverit. Minorem probabimus §. sequente. & mihi vix dubium est, quin Authores hujus sententiæ reipsâ aliùd dicere noluerint, defecerintque solùm in sufficiente explicatione.

§. V.

Verior Sententia circa Resolutionem Fidei.

112. EMinentissimus Card. de Lugo, in explicanda resolutione fidei, supra cæteros eminuit, vt mihi videtur; quem deinde quoad principale punctum secuti sunt Recentiores, P. Ant. Perez, Pallavic. Esparza. Dixi, quoad principale punctum. Nam in quo differunt à Card. de Lugo, non concernit Resolutionem fidei formaliter loquendo, sed est mera differentia materialis, & pertinet ad explicationem firmitatis fidei in rusticis & pueris, à qua difficultate nunc abstrahendum est, ne quæstio per se satis intricata, magis implicetur.

113. DICO itaque Fidem nostram vltimò resolvi in revelationem Dei, vel immediatam vel mediatam, sed immediatè creditam: quæ mediata revelatio consistit in illis motivis credibilitatis, quæ alij DD. hactenus dixerunt esse meras conditiones. Quapropter nostra sententia est, motiva credibilitatis non habere meram rationem Auctoritatis Humanæ, sed esse reverà testificationem & locutionem divinam, vel, vt jam alij loquuntur, complementum locutionis divinæ præteritæ, prout ad nos & ad singulos in particulari directæ ac derivatæ. Quod vt rectè intelligatur, & vt rem explicem eo modo, quo ego eam concipio,

114. Sciendum est primò. Deum quidem non loqui communiter singulis hominibus immediatè, eo modo quo olim locutus est Prophetis, & Christus Apostolis, formando voces aut alia signa corporea aut incorporea, indicativa sui conceptus, sed de via ordinaria vti quibusdam Instrumentis organicis & rationalibus, hoc est, hominibus ad hoc deputatis, per quos derivat ad nos, nobisque quasi promulgat revelationem priùs immediatè factam ab ipso Deo: & hujusmodi derivationem dicimus esse locutionem Dei mediatam, adeoque ejusdem auctoritatis cujus est locutio immediata. Dicitur autem locutio mediata in duplici sensu. Primus est, quia hæc locutio non manifestat ipsum mysterium revelatum, v. g. Incarnationem immediatè, sed mediante revelatione præteritâ & immediatâ, quia est quædam revelatio quasi reflexa, hoc est, revelatio revelationis factæ. Secundus sensus est, quia

non est nobis facta immediatè à Deo, sed mediante organo rationali, & præterea supponit aliam revelationem alteri factam, & respectu illius adæquatè sufficientem ad credendum, cùm tamen respectu nostri non sit adæquatè sufficiens ad credendum, sed opus habeat vlteriore complemento, seu derivatione, quâ ad nos vsque propagetur, vt magis deinceps exponemus.

115. Observandum est 2. à nemine negari posse, quòd Deus aliquibus per hujusmodi revelationem mediatam fuerit aliquando locutus. Nam doctrina immediatè ab Apostolis prolata, & miraculis confirmata, hodieque dicitur & est Verbum Dei, quod ipse Apostolus dixit. 1. ad Thessalonic: 2. his verbis. *Quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei* (id est prædicationis de Deo) *accepistis illud non vt verbum hominum* (hoc est, proprio quasi nomine prolatum) *sed, sicut est verè, Verbum Dei.* Loquitur autem Apostolus de suis verbis, quæ potuissent accipi vt verbum hominis: ergo non possunt intelligi de Verbo Dei objectivè sumpto, sed formaliter. Vno verbo. hujusmodi locutiones mediatæ sunt omnes libri Canonici, & Definitiones Conciliorum. ergo non est nova res, sed ad summum, novus modus loquendi, admittere hujusmodi locutiones mediatas.

116. Confirmatur hocipsum ex alijs textibus Scripturæ S. Sic enim ad Hebr. 1. Dicitur Deus multifariam multisque modis locutus esse Patribus in Prophetis. sic psalmo 44. dixit David. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis:* &. 2. Reg. c. 22. ait. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Lucæ. 1. *Sicut locutus est per os sanctorum.*

Restat ergò solùm probandum, motiva credibilitatis defacto esse aliquo modo locutionem Dei, vel saltem partem seu complementum locutionis Dei, quatenus per ea nobis communicatur, & ad nos vsque continuatur revelatio præterita, immediatè facta à Deo, sicut per totum Imperium propagatur Edictum Imperatoris, mediantibus Ministris, Prætoribus, aliisque officialibus subordinatis, & publicantibus nomine Cæsaris: per quos dicitur Imperator loqui subditis.

117. Probatur autem primò ex S. Scriptura hoc modo. Si defacto fideles omnes dicuntur audire vocem Dei, & doceri à Deo: item si Deus dicitur per miracula contestari, seu testimonium dare doctrinæ Prædicatorum Evangelij, tunc verum est, Deum defacto omnibus fidelibus loqui; non quidem immediatè: ergo mediatè. atqui ex S. Scriptura constat, quòd fideles omnes audiant vocem Dei, & doceantur à Deo, & quòd Deus per miracula testimonium det Prædicatoribus Evangelij: ergo &c. Minor probatur. Jo. 6. dicitur: *Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.* & paulò antè. *Erunt omnes docibiles Dei.* Jo. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* quod etiam vtique dictum est de ovibus postetioribus, futuris vsque ad sæculi consummationem, quæ tamen non audiunt immediatè vocem Christi. ad Hebræos 2. *Contestante Deo signis & portentis.* In quem locum Theodoretus ait, Deum per miracula fieri prædicationis testimonium. & S. Augustinus *epist.* 49. *q.* 6. ait, Deum mirabilibus operibus loqui.

118. Probatur Conclusio 2. Ad locutionem Dei, prout hic sumitur, plus non requiritur, quàm vt signa credibilitatis appareant à Deo proficisci, & dirigi in eum finem, vt per ea homines veniant in cognitionem mysterij revelati: atqui motiva credibilitatis nostræ fidei sunt talia: ergo rectè dicuntur esse locutio Dei. Major à nemine negari potest, nisi qui vellet de nomine litigare: eamque in terminis admittit Ripalda n. 77. & ratio est, quia per locutionem hic non intelligitur sola locutio vocalis. Minor constabit ex dicendis, & admittit etiam in terminis Ripalda. Consequentia est legitima.

119. Quæres. Cur ergo Ripalda non est amplexus Lugonis Sententiam? Docet enim Ripalda, auctoritatem humanam esse motivum fidei partiale, ita quidem vt non minùs immediatè moveat ad credendum mysterium, quàm revelatio præterita, quæ non movet nisi vt vestita auctoritate humanâ. R. Ripaldam suum opus de Fide composuisse & pro typo expediviſse, priusquam Lugo suum Tomum ederet: sed quia impressio Ripaldæ dilata fuit, revidit illud auctor, & ex Lugone multùm locupletavit. difficile autem ipsi fuisset, totam doctrinam suam de resolutione fidei mutare; quare ne videretur sine causa in sua sententia perseverare, leviuscula quædam objecit sententiæ Lugonis, cum insigni tamen illius encomio; fatetur enim esse dignam auctoris ingenio & maturo judicio, quæ difficultatem hujusque tenebris offusam illustriorem reddit, & ejus duritiem præ cæteris emollit. Denique convictus argumentis Lugonis ingenuè fatetur, motiva credibilitatis posse rectè apprehendi, & credi esse locutio & Verbum Dei: solummodo negat id esse necessarium.

120. Deinde existimat Ripalda, ad hoc vt motiva credibilitatis judicentur esse locutio Dei, debere hoc credi propter aliam revelationem quæ hoc ipsum reveletur. Verùm, argumenta nostra probant, motiva credibilitatis esse locutionem mediatam seu complementum locutionis præteritæ, seclusâ omni revelatione reflexâ. Ratio vlterior est: quia motiva credibilitatis cognoscuntur immediatè vt connexa cum revelatione præterita, non qualicunque, sed quæ facta sit in eum finem, vt ad omnes homines cum obligatione credendi propagaretur; & simul etiam ostendunt, se esse illud medium, quo & per quod ad nos derivetur. Sicut quando Publicat Principis mandatum, asserens, illud jam fuisse in Curia Principis publicatum; statim apprehenditur vt instrumentum, mediante quo illa prima publicatio ad hos etiam subditos pervenit: sic ergo, quandò Ecclesia legitimè congregata definit,

definit, & omnes obligat ad credendum, quòd olim fuerit hoc vel illud revelatum à Deo, statim hæc definitio apprehenditur à benè dispositis vt instrumentum Dei ad hoc institutum, vt ipsâ mediante propagetur illa revelatio juxta illud Christi: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 10. Eadem est ratio de alijs motivis credibilitatis, v.g. miraculis. quando enim fit aliquod miraculum in testificationem alicujus articuli fidei, tunc apprehenditur illud miraculum factum à Deo in eum finem, vt articulus ille olim revelatus, etiam nobis innotesceret: adeoque, inspiante Deo jam apprehenditur saltem implicitè vt instrumentum seu medium, quo Deus ad nos vsque vult notitiam revelationis præteritæ pervenire. Totam hanc doctrinam satis clarè perspexit & approbavit Suarez *disp.* 3. *s.* 11. *n.* 11.

121. Sed quid multis opus auctoritatibus? Vnus instar omnium sit Angelicus Thomas *in* 3. *dist.* 23. *q.* 2. a. 2. qui ad vulgarem objectionem, quæ erat, quòd videamur credere homini potiùs, quàm Deo, respondet: *Nos credere homini non vt homini, sed quatenus in eo loquitur Deus, seu Deo in homine loquenti.* quid clariùs dici potuisset? & q. 5. a. 3. ait, objectum formale fidei partiale esse doctrinam Ecclesiæ. Denique q. 14. de fide a. 8. sic loquitur. *Sicut esse creatum, quantùm est de se, vanum est & defectibile, nisi contineatur ab ente increato, ita omnis veritas creata defectibilis est, nisi quatenus per Veritatem increatam rectificatur. Vnde neque hominis neque Angeli testimonio assentire infallibiliter in veritatem induceret, nisi NB. quantùm in eis loquentis Dei testimonium consideratur.*

§. VI.

Solvitur prima objectio, & ostenditur, omnes credentes sufficienter apprehendere Deum sibi loquentem.

122. Objicies 1. Esto propositio Ecclesiæ & miracula sint locutio Dei, & mereantur credi talis esse, hoc tamen solùm locum habet respectu illorum, qui immediatè audiunt talem Ecclesiæ propositionem, vt, qui intersunt Concilijs, vel oculis spectant miraculum: atqui maxima fidelium pars nec spectat miracula, nec interest Concilijs: ergo in plerisque remanet tota difficultas, in quid eorum fides resolvatur: hi enim credunt facta esse hujusmodi miracula aut definitiones, quia legunt in libris, audiunt à doctis fide dignis: ergo secundùm nostram sententiam hæc lectio & auditio erit locutio quædam Dei, quod videtur esse novum & absurdum. ℟. Concedo sequelam, nego minorem; quia jam & auctoritate & ratione ostendimus, omne illud per quod ad quemvis particularem fidelem derivatur revelatio præterita, facta in eum finem, vt singulis innotesceret, & suavis Providentia vult innotescere modis prædictis, habere rationem locutionis divinæ. Dico itaque, quòd à fidelibus per S. Spiritûs illuminationem benè apprehendatur & judicetur esse dignum creditu, ad providentiam Dei spectare, vt non permittat nos falli per tot historicorum conspirationem, & constantem conformitatem in asserendo tali miraculo, vel tali definitione Ecclesiæ.

123. Confirmo nostram doctrinam, ostendendo (quod nescio an ab alio observatum sit,) in omni locutione divina externa & sensibili (quæ maximè est hominibus accommodata, & communiter adhiberi solita) intervenire semper aliquod constitutivum illius locutionis, quod secundùm se spectatum non habebat nisi auctoritatem humanam, vel certitudinem naturalem, & tamen prout hîc & nunc adhibetur à Deo, acquirere denominationem locutionis divinæ partialis. Quo ostenso multùm infringentur objectiones, quæ contra nos fieri possent.

Est autem duplex modus loquendi sensibiliter, verbis, vel factis, & in vtroque hoc ostendi potest. Quoad primum ergo, quando Deus loquebatur Moysi, vel Christus Apostolis, agnoscentibus eum esse Deum, vt cùm illis dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Quando, inquam, Christus sic loquebatur formans humanas voces, quarum nulla alia caussa poterat prudenter in suspicionem venire, quàm quòd proveniant à Christo, tunc quando Apostoli Christo crediderunt, illa locutio Christi fuit vtique motivum credendi, non quidem vt erat merus sonus materialis, sed vt erant voces significativæ inter homines. Hæc autem vis significandi hoc vel illud, nitebatur vnicè auctoritate & institutione humanâ, quæ est forma constitutiva talis significationis, vt traditur in Logica: ergo aliquid habens ex se meram auctoritatem humanam constituebat illam locutionem Dei. Idem dicendum de Sermone Dei cum Abrahamo, Moyse, &c.

124. Idem ostenditur in modo loquendi per prodigia. Quando enim illa fiebant in confirmationem alicujus articuli, non erant secundùm se sumpta locutio adæquata, erant enim vt sic indifferentia, vt confirmarent vel hunc vel alium quemcunque articulum. Determinatio ergo ad hunc articulum proveniebat ex adjunctis verbis. v.g. quando S. Petrus ad confirmandam divinitatem Christi, dixit claudo jacenti ad speciosam portam: *In nomine JESV CHRISTI Nazareni surge & ambula.* hæc ergo verba etiam constituebant illam divinam confirmationem articuli, secundùm vim significandi ab humana auctoritate provenientem.

Aliter adhuc ostenditur, vel intervenire auctoritatem humanam, vel certitudinem aliquam merè physicam, & absolutè secundùm se fallibilem. Quando enim me spectante suscitatur mortuus, hoc miraculum in quantùm me movere potest tanquam locutio Dei, includit intrinsecè hoc quod est: illum hominem fuisse priùs verè mortuum (& hoc ego credo fortasse alijs id

asserentibus, vel credo meis oculis) & nunc exercere actus vitales, quæ non possunt fieri nisi à vivente. hæc omnia sunt pars constitutiva locutionis divinæ per miraculum, tamen secundùm se spectata non merentur assensum firmissimum. Sicut ergo hæc & hujusmodi constituunt locutionem Dei, non præcisè secundùm se spectata, sed in quantùm hîc & nunc apparent esse assumpta à Deo & directa ad hunc finem, vt nobis aliquis Articulus confirmetur, poterunt pari modo narrationes aliorum fide dignorum facientia moralem certitudinem, quòd aliquando sint facta miracula in testimonium fidei, quòd Ecclesia hoc vel illud definiverit &c. poterunt, inquam, constituere, & continuare locutionem Dei, in hunc finem factam, vt per hujusmodi narrationem ad alios perveniret.

125. Vrgebis. Simplices, vt Rustici & pueri, credunt Mysteria quæ docentur à parocho & parentibus, neque tamen videntur habere judicium, quòd Deus sibi loquatur per parochos aut parentes: ergo non omnes actus fidei resolvuntur in locutionem Dei eo modo quo nos exposuimus. Respondet Card. de Lugo n. 126. si ad Rusticos & pueros attendamus, sæpissimè etiam censebimus, eos non credere propter revelationem, & Auctoritatem Dei: parochus enim, & multò magis parentes, sæpè solùm dicunt illis, Verbum esse incarnatum, Christum esse mortuum &c. nullâ factâ mentione revelationis divinæ. Porrò licet aliquando contingat, hujusmodi personas elicere actus meræ fidei Humanæ, regulariter tamen eliciunt actus fidei divinæ, quia licet non concipiant explicitè revelationem Dei formalissimè, concipiunt tamen confusè doctrinam illam tanquam divinam, & agnoscunt in ea aliquid suprahumanum, & intelligunt ita doceri per fidem, concipientes nomine *Fidei* aliquid Numinis & Divinitatis, quod sufficit, vt confusè intelligant, illam doctrinam non esse sicut alias doctrinas, quæ oriuntur solùm ab hominibus, & sic credunt etiam confusè, eam doctrinam proponi sibi à parocho (quem sciunt publicâ auctoritate pro suo pastore constitutum) aliquâ authoritate plusquàm humanâ, & parochum non loqui in persona propria solùm. Colligit hoc Lugo à posteriori, ex remorsu conscientiæ, quem haberet Rusticus si discrederet illis quæ proponit parochus: judicaret enim se non solùm peccâsse contra fidem Humanam parocho vt privato homini debitam (quæ non esset culpa gravis) sed etiam contra altiorem authoritatem, & ideo formidat rusticus, negare esse fidem divinam. Hoc ergo ipsum (inquit Lugo) quod rusticus concipit confusè, & crasso modo, concipit Theologus magis explicitè, intelligendo illam propositionem externam Mysterij, esse propositionem ex parte ipsius Dei, qui aliquando revelavit illa mysteria fidei: neque enim debemus expectare à rusticis & pueris, vt tam exactè concipiant rationem formalem fidei, sicut Theologi. Et hoc quidem in omni sententia admittendum est. Ita Lugo.

126. Confirmo & declaro responsionem vlteriùs. Vel parochus & parentes ita proponunt Mysteria fidei, vt in audientibus excitent judicium evidens de obligatione gravi assentiendi, vel non ita proponunt: si non: non possunt audientes elicere actum fidei, & sic cessat objectio, quia esset de subjecto non supponente. Si verò ita proponunt, tunc omninò necesse est, vt audientes concipiant Deum sibi loquentem. Sublatis enim locutionem parochi & parentum concipiant vt sunt meræ locutiones hominum, non nisi per errorem possent concipere gravem obligationem assentiendi. Deinde cùm parochus & parentes non possint ipsi inducere propria auctoritate gravem obligationem, sequitur, quòd proponendo gravem esse obligationem assentiendi, hoc ipso dicant, eam esse impositam primitùs à Deo, volente hæc talia credi: ergo jam in actu exercito dicunt, se esse instrumenta constituta ratione officij sui, vt hanc Dei voluntatem notificent illis, qui suæ curæ commissi sunt. hoc autem aliud non est, quàm dicere, se loqui nomine Dei.

Brevissimè. Rusticus non tenetur velle credere suo parocho, nisi judicet illum esse legitimè missum ad prædicandum, & pro tali communiter haberi, nec filij tenentur credere parentibus, nisi eos apprehendant ad minimùm vt supplentes vices Ecclesiæ aut parochi, & ex ejus ore loquentes.

127. Replicabis adhuc ex P. Ripalda n. 4. Ipsimet Theologi non solùm non apprehendunt, sed quod plus est, etiam negant, quòd motiva credibilitatis sint locutio Dei, nempe Hurtadus & alij impugnantes sententiam Lugonis, & tamen hi Theologi vtique credunt prout debent: ergo si vera esset sententia Lugonis, saltem Theologi deberent agnoscere paulò distinctiùs locutionem Dei, quidquid sit de rusticis, vel certè non deberent eam apertè negare: ergo responsio data non est sufficiens.

Mirum est, non vidisse Ripaldam, posse hoc totum argumentum in ipsius sententiam retorqueri. Nam secundùm Ripaldam motiva credibilitatis etsi non sint locutio Dei, sunt tamen partiale motivum fidei: hoc autem à plurimis Theologis negatur: quomodo ergo isti habent sufficiens motivum credendi? Respondent ergo, illos Doctores qui Lugonem impugnant, ipsâ agnoscere in motivis credibilitatis totum id, quod Lugo dicit, & nos dicimus, sufficere ad locutionem Dei mediatam, seu ad complementum locutionis. quando ergo negant, esse locutionem Dei, vel faciunt quæstionem de nomine locutionis, vt notat Lugo n. 162. vel tantùm retenus negant, vel sibi contradicunt. Declaratur. Nam illi admittunt, motiva credibilitatis reddere objectum dignum fide summâ: ergo nihil habens meram auctoritatem humanam, potest objectum reddere dignum fide summâ.

Præterea

Præterea, illi DD. agnoscunt, quòd locutio Dei præterita applicetur nobis per motiva credibilitatis ex intentione Dei: hoc autem dicimus nos, esse complementum locutionis divinæ; vel, dicant illi, quid desit? Confirmatur. Adversarij expresè docent, nos per actum fidei divinæ credere soli Deo: atqui certum est, me non posse alicui, & quidem soli credere, quem nullo modo audio loquentem: ergo fatentur adversarij etiam nolentes, nos audire Deum loquentem, quoties credimus: atqui nulla vox potest assignari, quæ à nobis immediatè percipiatur, nisi motiva credibilitatis, v. g. vox Ecclesiæ, ergo non advertentes fatentur hæc motiva habere rationem locutionis. Habent ergo adversarij simul & semel judicia contradictoria, vnum explicitè alterum implicitè, quod non est novum, & patet in illa controversia, vtrum Intentio Ministri sit pars Sacramenti: in qua controversia illi qui negant, arguuntur judicare simul contradictoria, nempe quia simul judicant, intentionem ministri esse talem, quâ non positâ, cæteris positis, non est possum Sacramentum, hoc autem formalissimè est, esse partem: quod dum illi non penetrant, judicant non esse partem.

128. Instabis. Omnes Theologi dicunt, motiva credibilitatis esse conditiones ad credendum: ergo non possunt esse motivum partiale. ℟. Cum Card. de Lugo n. 130. Vtrumque posse motivis credibilitatis tribui, nempe, & quòd sint conditio objectiva, & simul etiam motivum partiale. Ratio est, quia motiva credibilitatis duplicem influxum præstant: primus influxus est in Judicium ipsius credibilitatis (quod præcedit & dirigit piam affectionem credendi) & in ipsam piam affectionem, quæ à dignitate motivorum & honestate credendi movetur ad volendum credere: cùm ergo Judicium credibilitatis & pia affectio, sint immediata caussa actûs fidei, ideo motiva credibilitatis, quatenus per suum influxum applicant quasi & præparant hanc caussam, possunt dici conditio objectiva & in hoc sensu vocantur conditiones à Theologis. Secundus influxus est immediatus in ipsum actum fidei, in ratione objecti formalis, quod ab ipso actu immediatè respicitur, & sic habent rationem motivi: sicut, si aliquis effectus simul produceretur à virtute caussæ, & ab ejus vbicatione, tunc vbicatio esset simul conditio & caussa efficiens partialis. sic se habet cognitio respectu Volitionis subsequentis, in sententia illorum, qui volunt cognitionem immediatè & physico influxu influere in Volitionem. Item si aliquis discipulus, audiens à Magistro proponi conclusionem probabilem, cum argumentis probabilibus, si deinde assentiatur conclusioni partim propter argumenta Magistri, partim propter Magistri auctoritatem, poterit propositio Magistri dici simul esse motivum, & conditio.

§. VII.

Solvitur secunda Objectio, & declaratur, quomodo Locutio Ecclesiæ ex terminis apparere possit esse Locutio Dei.

129. OBjicies 2. Si daretur locutio mediata, ea maximè esset Propositio Ecclesiæ, sed hæc non potest esse: ergo nulla est. Probatur minor. Si Propositio Ecclesiæ est locutio Dei, & ex terminis apparet esse digna creditu, quòd sit locutio Dei, vel hoc convenit illi consideratæ vt habet auctoritatem fallibilem, vel vt per assistentiam Spiritûs Sancti habet auctoritatem infallibilem: neutrum dici potest. Non primum: Sic enim fides nostra nunquam resolveretur vltimò & adæquatè in auctoritatem infallibilem. Sed neque secundum dici potest. Nam Infallibilitas Ecclesiæ non potest vlli innotescere, nisi ex revelatione Dei, quæ continetur in S. Scriptura: atqui ipsa S. Scriptura non apparet immediatè ex terminis esse Verbum Dei, sed hoc creditur propter definitionem Ecclesiæ; & sic committetur circulus vitiosus: nam S. Scripturam credemus propter Ecclesiæ infallibilem definitionem, & hanc definitionem esse infallibilem credemus propter S. Scripturam. ℟. Hoc argumentum etiam solvendum esse illis, qui volunt, auctoritatem Ecclesiæ esse conditionem objectivam, sine qua non crederemus, juxta celebre illud dictum S. Augustini: Scripturæ non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas. Nec est opus de novo ostendere, quomodo sit in adversarios argumentum retorquendum; hoc jam suprà fecimus: nam secundùm illos auctoritas Ecclesiæ erit conditio ad hoc vt credam Scripturam esse Verbum Dei; & hoc erit conditio vt credam Ecclesiam esse infallibilem.

℟. 2. Ecclesiam spectatam cum toto suo apparatu quem habet, & qui sensibiliter à quovis, etiam gentili, & omnis S. Scripturæ ignaro, deprehendi potest, apparere ex terminis dignam creditu, quòd in suis definitionibus sit infallibilis: quia Ecclesia in definiendo vtitur auctoritate, à Deo in hunc ipsum finem instituta & collata, vt per eam nobis revelationes præteritæ innotescant, (definitiones enim Ecclesiæ non sunt aliud, quàm declarationes revelationum præteritarum) ideo hocipso locutio Ecclesiæ apparet locutio Dei seu complementum illius. Quis autem sit ille apparatus, per quem vera Ecclesia à quavis falsa secta dignosci potest, infrâ dicemus.

130. Pro nunc, lubet in exemplo ostendere, quomodo infallibilitas Ecclesiæ Romanæ, possit alicui Gentili, qui nec Scripturam, nec Christum credit, fieri credibilis fide divinâ, per meras revelationes mediatas, sine vllo circulo vitioso.

Imprimis ergo potest Gentili ad sensum patere, dari in mundo varios cætus, agnoscentes Numen supremum, illúdque diversis cultibus colentes

colentes, ita tamen inter se discrepantes, vt vna alteram damnet tanquam erroneam, & Deo invisam. Potest insuper Gentilis Lumine Naturæ cognoscere, esse prudenter innegabile, quòd debeat existere aliqua Religio vera, Deóque grata. Nempe, cùm Deus sit Ens supremo cultu dignum, & cultu vtique grato, pertinebit ad ejusdem providentiam, vt existat Religio colens illum cultu grato, & quæ non erret in cultu Dei.

Vlteriùs potest Gentilis advertere, debito examine & instructione adhibitâ, solam Ecclesiam Romanam, comparatam cum cæteris omnibus sectis, habere pro se plurima & gravissima argumenta, quibus cæteris omnibus Sectis longè præstet: insuper lumine Naturæ cognoscere potest, dedecere infinitam Dei Sapientiam, permittere, vt Religio falsa talibus argumentis præfulgeat, vera autem Religio illis argumentis destituatur, sícque ab omnibus hominibus prudenter falsæ religioni postponatur, & præ illa vilescat. His cognitionibus, naturaliter comparabilibus, postquam Gentilis erit instructus, solet Deus immittere illuminationem, quâ judicat evidenter, dignum esse, fide firmissimâ credere, Deum hujusmodi argumenta & prærogativas in Ecclesia Romana procurasse, & hominibus manifesta fecisse, ad manifestandam veram Religionem & Ecclesiam sibi gratam, adeoque saltem implicitè judicabit, Deum per horum argumentorum manifestationem sibi quoque voluisse ostendere, quænam esset vera Religio, in qua à se quoque coli vellet, & ad hoc credendum se obligari, ob infinitam Dei auctoritatem.

Postquam ergo Gentilis hujusmodi illuminationi cooperatur, & elicit actum supernaturalem fidei, Hunc cætum esse veram Ecclesiam, propter revelationem illam mediatam, jam explicatam, fit illi vlteriùs credibile, hanc Ecclesiam non errare de facto circa suum fundamentum, quod est Verbum Dei, cui vnicè innititur Veritas Religionis, & cultûs Deo accepti, qui principaliter consistit & fundatur in fide vera, nixâ verâ Dei revelatione, & Verbo sibi concredito. Deinde audit ab Ecclesia, hunc Codicem esse Verbum Dei, & sic fit illi iterum dignum creditu, Deum per Ecclesiam sibi manifestare, quòd revelationes in illo Codice contentæ habeant illum sensum & intellectum, quem ipsa Ecclesia proponit tenendum & credendum; & hoc vel maximè verum est de revelationibus circa essentialem constitutionem ipsius Ecclesiæ: Si enim in harum sensu falleretur, jam vtique falleretur circa Fundamentum suum, quod est Verbum Dei.

Deinde audit Gentilis, ab Ecclesia doceri, in illo Codice contineri revelationem de Monarchia ipsius Ecclesiæ, tanquam forma essentialiter constitutiva, vt scilicet omnes agnoscant vnum caput invisibile, nempe Christum, & visibile, ejus Vicarium in terris; & huic quidem promissam esse assistentiam, vt in definiendis & dijudicandis Controversijs particularibus errare non possit, adeoque habere auctoritatem loquendi nomine Dei, quæ jam est Infallibilitas Vniversalis: hanc ergo vniversalem Infallibilitatem credit gentilis propter revelationem Dei, continetam in illis prærogativis seu Notis, manifestantibus veram Ecclesiam, non erratem circa fundamentum suum, quod est Verbum Dei, ejusque Interpretationem in declaratione formæ Monarchicæ. Ecce! quomodo Infallibilitas Vniversalis credi possit propter Infallibilitatem particularem Ecclesiæ circa intelligentiam Verbi Dei, prout declarantis Formam & Essentiam Ecclesiæ, quæ Infallibilitas particularis creditur propter revelationem mediatam, quæ continetur in Notis Ecclesiæ.

Hoc sensu potest defendi Sententia Medinæ, aliorúmque, resolvens fidem in auctoritatem Ecclesiæ, vt gubernatam à Spiritu Sancto, & conveniat cum nostra, vt etiam notavit Lugo sect. 7. in fine. Restant nunc leviores objectiones diluendæ, quas objicit Hurtadus Mendoza.

§. VIII.

Expediuntur reliquæ objectiones.

131. OBjicies 3. Sententia nostra videtur tollere errorem hæreticorum, resolventem fidem in revelationem privatam vnicuique faciendam: hujusmodi autem privatam revelationem videmur concedere, dum dicimus, quod motiva credibilitatis sint mediata locutio: vnde sic subsumi posset: atqui sine motivis credibilitatis vnicuique privato propositis, non potest quisquam credere: ergo Deus cuivis privatim loquitur.

Rs. Si error hæreticorum eum sensum haberet, quem objectio illi tribuit, facillimum esset hæreticis, se ab omni Hæresis Nota liberare: possent enim in sua opinione hoc solùm tenere, & dicere, Spiritum privatum non habere rationem locutionis & motivi, sed rationem conditionis applicantis revelationem præterquam. Quin immò ex ipso Luthero videtur clare colligi posse, quòd ipsius tempore communis sensus fidelium fuerit, Deum per Ecclesiam singulis loqui. Cùm enim Lutherus necdum vellet negare Infallibilitatem Ecclesiæ, hujus rationem reddidit: quia Ecclesia est os Dei: neque propter hoc reprehensionem meruit, sed laudem. Sic habet Lutherus Tomo 7. VVittebergico fol. vlt. edito Anno 1554. apud Joan. Lusst. *Mirissimum*, inquit, *Verbum Dei, Veritatémque, & nullum errorem mendaciúmve debet docere Ecclesiæ, & qui possit aliud? cùm os Dei sit os Ecclesiæ, & Deus non possit mentiri, ita nec Ecclesia.* Tam procul ergo ab hæreticorum Spiritu abest nostra sententia, quam procul abest S. Paulus, disertè pronuntians, neminem posse credere Deo, nisi Deum audiat loquentem: non posse autem Deum loquentem audiri (viâ ordinariâ) nisi mediâ prædicatione. Ad Rom. 10. *Quomodo*, inquit, *credent ei, quem non audierunt?*

licet Deo) *quem non audierunt : quomodo autem audient* (Deum) *sine prædicante ?* Hæreticorum itaque error in eo consistit, quòd volebant, vnumquemque credere privato Spiritui *interno*, quidquid exteriùs prædicaret Ecclesia: nostra sententia è diametro oppositum docet, vt patet. Vtrum autem hæc objectio magis premat illos, qui internum quoddam discerniculum ponunt, quo rusticus certificetur de Veritate propositionis parochi, (prout illis objicit Comptonus) viderint illi; meâ non interest pro illis respondere, à quibus tam procul absum, quàm esse possum ab opinione quacunque toleratâ.

132. Objicies 4. Si Parochi loquela esset Verbum Dei, sequeretur, quòd Deus assisteret parocho sicut toti Ecclesiæ. ℟. Negando sequelam, vel distinguendo. Si parochi loquela esset Verbum Dei adæquatè, & ex prædicato intrinseco, concedo sequelam, (nam tunc haberet se sicut sermo Prophetæ) si tantùm est complementum illius, & per denominationem extrinsecam, provenientem ex omnibus illis, per quæ locutio Dei præterita pervenit ad parochi notitiam, nego sequelam, vel subdistinguo: assisteret Deus parocho vt parocho, & vt loquenti locutione derivatâ à revelatione præterita, concedo sequelam, (nam sic includit assistentiam exhibitam Ecclesiæ) specificativè accipiendo parochum & sermonem illius, nego sequelam: Nam licet parochus non possit loqui falsum, quando reverà loquitur nomine Dei, hoc est, eo modo quo Ecclesia vult eum loqui, potest tamen simpliciter loqui falsum, & exteriùs simulare acsi loqueretur nomine Dei, & tamen non loqui nomine Dei, hoc est, non loqui dependenter à revelatione præterita. sicut si Prætor fingeret aliquod edictum Principis, tunc reverâ non loqueretur nomine Principis, quia tale edictum non descenderet ex voluntate Principis.

133. Objicies 5. Si audiam ab aliquo, in Ecclesia credi Mysterium Incarnationis, potest ille mihi reddere mysterium credibile, licet ille ipse Incarnationem non credat: atqui talis vtique non loquitur nomine Dei, nec proponit objectum ex parte Dei: ergo ad credendum non requiritur, vt objectum proponatur ex parte Dei. ℟. Cum Lugone n. 137. Negando minorem. Nam omne illud proponitur ex parte & nomine Dei, cujus notitia, quæ mihi per hunc nuntium venit; orta & derivata est ex prima revelatione Dei: Deus enim revelavit Incarnationem eâ intentione, vt ad me per hominum ministerium perveniret. Quotiescunque ergo illa revelatio præterita objectivè influit in notitiam quæ ad me venit, proponitur objectum ex parte Dei. Econtra si non influit, non proponitur ex parte Dei, & ideo non potest in tali casu elici actus fidei; v. g. si parochus animo decipiendi proponeret aliquem articulum, putans eum nuspiam esse revelatum, qui tamen reverâ sit revelatus, tali casu revelatio præterita non influeret in locutionem illius parochi, & ideo non fundaret actum fidei, vt docet Lugo n. 136.

134. Objicies 6. Vel resolvitur fides vltimò in revelationem mediatam vt mediatam reduplicativè, vel in eam solùm specificativè sumptam: neutrum dici potest. Non primum: quia revelatio mediata quà talis, includit intrinsecè etiam revelationem immediatam seu præteritam: ergo jam resolveretur æquè immediatè & vltimò in revelationem præteritam, quæ tamen non est immediatè nota. Non secundum dici potest, quia revelatio mediata specificativè sumpta, est merum Testimonium humanum. ℟. Hoc argumentum esse sophisma, & habere instantiam manifestam in promulgatione edicti Cæsarei, facta per Prætorem, item in contractu facto per procuratorem nomine sui principalis: per hos autem loqui Cæsarem & Mandantem seu principalem certum est. jam verò procedit argumentum. Vel vox Prætoris & Mandatarij accipitur reduplicativè, vel specificativè, quando movet subditos ad obedientiam, vel alterum ad contrahendum. Non primum; sic enim includit primam promulgationem factam in Curia Cæsaris, & mandatum factum à principali, quæ tamen non percipiuntur à subditis & à contrahente. Non secundum: sic enim vox prætoris aut mandatarij, est vox privati hominis, & suo nomine prolata. Ad objectionem ergo Respondetur directè, Fidem resolvi in revelationem mediatam quâ talem *Radicaliter*, non verò quà talem formaliter, seu, quatenus est denominatio desumpta à revelatione præterita. Porrò revelatio mediata quà talis, *Radicaliter*, constituitur per totum illum apparatum, per quem immediatè perceptum fit audientibus credibile, Sermonem parochi esse derivatum, & descendere à revelatione præterita. Idem dicendum de locutione Ecclesiæ. Quando ergo hujusmodi locutio nobis ita proponitur, vt fiat, credibile, eam descendere à revelatione immediata, & præterita, adeoque vt habens credibilem connexionem cum illa, jam non concipitur vt aliquid purè Humanum, sed vt connexum cum aliquo divino. Hanc doctrinam breviter complexus est S. Thomas *in 3. dist. 23. q. 2. a. 2. quæstiun. 2. ad. 3.* his verbis. Ad tertium (quomodo nempe per actum fidei discernatur fidelis ab infideli) *dicendum, quòd fidelis credat homini, non in quantùm homo, sed in quantùm Deus in eo loquitur, quod ex certis experimentis colligere potest: infidelis verò non credit Deo in homine loquenti.*

135. Objic. 7. Ad hoc vt parochus loquatur tanquam Minister & Nuntius Dei, debet habere intentionem loquendi vt Nuntius Dei: atqui hæc intentio non est necessaria ad hoc, vt ex propositione parochi nascatur in audientibus obligatio credendi: ergo nec est necessarium, vt parochus loquatur tanquam Nuntius DEI. ℟. Negando majorem. Neque enim hîc accipitur officium ministri aut internuntij in eo rigore, quo accipitur in materia de Contractibus aut

Sacramentis, vbi agitur de valore contractûs, quo alius tanquam principalis per ministrum, non suo, sed nomine ipsius principalis operantem, obligatur, aut operari censetur; sed accipitur in latiore significatione, prout quis concurrit ad propagandam aliquam veritatem ex intentione ipsius principalis. Exemplum aptissimum est propagatio legis humanæ: nam ex communi stylo leges humanæ latæ v. g. pro toto imperio, aut Ecclesia, non statim obligant, quando in curia promulgantur, vt probabo in tract. de Legibus: sed primùm post certos menses, intra quos moraliter possibile est, eam ad notitiam omnium pervenire. Quando ergo hujusmodi legis promulgatio ad aures alicujus pervenit intra vel post illos menses, quomodocunque id innotuerit, etiam absque interventu vllius publici ministri, elapso termino obligatur lege. Sic se res habet in propagatione revelationis præteritæ. Verum quidem est, quòd regulariter loquendo, rustici non teneantur credere parocho, nisi quando illis loquitur ex officio: nihilominus tamen, si alicui etiam in familiari & privato sermone mysterium explicaret, posset adhuc rustico reddi credibile mysterium, si in tali persona attenderet doctrinam, sinceritatem, veracitatem, vitæ integritatem, Zelum animarum, & similia experimenta, de quibus paulò antè locutus est S. Thomas. Vno verbo, tunc respectu rustici sufficienter loquitur parochus, vel etiam alius, nomine Dei, quando ex circumstantijs rustico fit prudenter credibile, loquelam talis hominis esse conformem revelationi præteritæ, aut sensui Ecclesiæ, sive hoc dicat ex Cathedrâ, sive alio modo. Doctrinam hanc agnovit celebris Scripturæ Interpres P. Alphonsus Salmeron, Vniversitatis nostræ Ingolstadianæ ornamentum *disp. 33. in ep. ad Rom. in cap.* 10. super illa verba S. Pauli: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* ex quibus verbis infert, nos verè Christum audire, quando Christi prædicatorem audimus, testante id ipso Christo: *qui vos audit, me audit.*

Et hæc de Resolutione fidei in genere. nam, vt jam semel, iterumque monui, de resolutione fidei simplicium, & qui motiva vniversalia credibilitatis, quæ habet tota Ecclesia, non possunt penetrare, est specialis difficultas, de qua agemus infrà.

CONTROVERSIA VI.

Vtrum Habitus Fidei nostræ possit influere in actum Fidei nixum revelatione privatâ.

136. REvelatio divina dividitur in publicam & privatam. Publica est, quæ pertinet ad totam Ecclesiam, quatenus versatur circa articulos, qui toti Ecclesiæ credendi proponuntur. Revelatio privata est, quæ fit alicui personæ privatæ, proponens aliquid non propositum aut proponendum toti Ecclesiæ, vt, si alicui revelaretur suæ prædestinatio. Quæritur ergo, an noster habitus fidei posset influere in actum, quo assentitur objecto ob revelationem privatam.

Prima sententia negat. Ita Cajetanus, Sotus, Canus, Bannez, alijque Thomistæ, quos sequitur P. Valentia. Altera affirmat. Cum qua,

DICO, eum, cui privata revelatio fit, posse elicere actum fidei nostræ circa illam revelationem & objectum illius. Probatur. 1. In Con: Trid. sess. 6. c. 12. vbi quidem dicitur nihil de hoc puncto definitur, tacitè tamen videtur supponi, dum ait: non nisi ex speciali revelatione sciri posse, quos Deus elegerit. Et quidem Catherinus, Thomista, testis oculatus, tradit, hanc sententiam, quam noster P. Lainez contra Sotum in Tridentino acriter propugnarat, communi Patrum approbatione fuisse suffultam. Probatur 2. Ratione. Defacto multæ hujusmodi revelationes factæ, & cum remuneratione creditæ sunt, vt patet in antiquis Patribus & Patriarchis, & etiam in personis novi testamenti, vt constat ex vita S. Brigittæ, S. Francisci Romanæ, & aliorum. Vel ergo hi crediderunt per habitum nostræ fidei infusæ, vel per aliquem alterius omninò rationis: si primum, habemus intentum: secundum verò irrationabiliter dicitur, nam hoc quod est, revelationem esse privatam vel publicam, non variat toto genere modum tendendi, aut obligationem credendi, nec objectum formale, seu motivum, & in hoc non differt nisi differentia materialis: ergo ex nullo fundamento probatur esse diversæ rationis.

137. Objiciunt 1. S. Thomam 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. dicentem, quòd fides innitatur revelationi factæ Apostolis & Prophetis, non verò revelationi alijs factæ. ℟. Meritò hoc dicere S. Thomam, quia revelationes alijs factæ non derivantur ad nos ex intentione Dei, cùm non sint de rebus ad totam Ecclesiam pertinentibus.

Objiciunt 2. S. Scripturam ad Ephes. 2. vbi dicitur, nostram fidem esse superædificatam supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. ℟. Apostolum velle dicere, quòd ad fidem, quæ tanquam ad salutem necessaria à nobis exigitur, non requiratur privata revelatio rerum non pertinentium ad totam Ecclesiam, sed illam quæ fundatur in doctrina Apostolorum & Prophetarum.

138. Objiciunt 3. Ex nostra doctrina sequi videtur, quòd qui discrederet revelationi privatæ, sicut discredidit Zacharias Sacerdos, quia, inquam, talis esset hæreticus, & incurreret easdem pœnas ac pœnas hæreticis impositas. ℟. Negando sequelam, quia nomine *hæreticorum*, intelligitur contumaces contra definitionem Ecclesiæ. Nihilominus talis peccaret peccato Infidelitatis, & perderet habitum fidei, vt docet Lugo n. 243.

CON-

CONTROVERSIA VII.

Vtrum objecta Virtualiter tantùm & Implicitè revelata possint credi fide divinâ.

§. I.

Præmittuntur aliqua pro statu Quæstionis intelligendo.

139. NOtandum primò. Revelationem respectu aliquorum objectorum esse & dici explicitam seu formalem, respectu aliquorum verò dici implicitam & virtualem. Illa objecta dicuntur explicitè & formaliter revelata, quæ immediatè & in se sunt revelata, secundùm formalem & explicitum conceptum, ad quem significandum tales voces aut signa sunt instituta. v. g. quando Angelus dixit Mariæ: *Ecce! concipies filium*: erat revelatio formalis futuræ Incarnationis in vtero Virginis; & quidquid non est formaliter seu ratione ratiocinatâ idem cum significato horum verborum, illud non dicitur per illam revelationem esse formaliter revelatum. Virtualis revelatio dicitur esse respectu illorum objectorum, quæ licet vel realiter, vel ratione ratiocinatâ distinguantur ab objecto formaliter revelato, continentur tamen in illo, & ex illo per bonam consequentiam deduci possunt, adjunctâ aliâ veritate, seu revelatâ, seu naturaliter cognitâ: v. g. hæc propositio: *Deus est homo*, est formaliter revelata Jo. 1. per hanc ipsam revelationem est simul virtualiter revelata risibilitas Christi. si enim illi propositioni formaliter revelatæ adjungatur hæc alia, naturaliter evidens: *Omnis homo est risibilis*: deducitur: *ergo Christus est risibilis*. Formalis ergo revelatio dici solet *immediata*, virtualis verò *mediata*; non quidem in eo sensu, quo suprà revelationem immediatam & mediatam desumpsimus ex ordine ad caussam efficientem, sed alio, scilicet in ordine ad objectum significatum. Præsens igitur quæstio est, an aliquando objectum tantùm virtualiter & implicitè revelatum credi possit fide divinâ propter revelationem virtualem.

140. Notandum 2. Tunc dici vnum virtualiter contineri in alio formaliter revelato, quando, vt dixi, per legitimam consequentiam potest deduci ex objecto formaliter revelato, juncto alio principio tanquam alterâ præmissâ: hæc autem potest esse duplex; vel enim est etiam de objecto revelato, & tunc ambæ præmissæ erunt formaliter revelatæ; vel est de objecto evidente naturali evidentiâ: & hæc triplex est: Moralis, physica, metaphysica. v. g. Ciceronem fuisse Romæ Oratorem, est evidens evidentiâ morali. nam licet physicè loquendo potuissent Historici fallere, moraliter tamen loquendo hoc est adeo impossibile, vt nemo nisi imprudentissimus possit post lecta tot historicorum testimonia, & auditam communem omnium persuasionem, admittere vllam formidinem aut dubitationem. Evidentia physica est, quæ habetur per sensus, qui tamen saltem divinitus falli possunt; v. g. quòd hic paries sit albus: vel quæ non est omninò imperturbabilis, quamvis ratione objecti non possit esse falsa, qualis esset ratio physica, quâ demonstratur, quòd repugnet Infinitum. Evidentia Metaphysica est, quæ habet indispensabilem veritatem, & simpliciter pro omni casu necessitat intellectum ad assensum, v. g. quòd totum sit majus suâ parte. Itaque quando vel ex duabus revelatis, vel ex vna revelata, & vna evidente deducitur aliqua conclusio, dicitur illa Conclusio esse actus elicitus ab Habitu Theologiæ, & ejus objectum dicitur esse virtualiter revelatum.

141. Notandum 3. Ea', quæ sunt virtualiter revelata, esse triplicis generis. Primum genus est eorum, quæ tanquam proprietatés physicæ realiter distinguuntur, sed connaturaliter semper comitantur essentiam, *vt esse quantum, coloratum &c.* Secundum genus est eorum, quæ sunt proprietates Metaphysicæ, hoc est, formaliter tantùm & ratione distinctæ ab essentia, vt esse risibilem, locomotivum &c. Si quidem potentiæ istæ non distinguuntur realiter ab anima. Tertium genus est eorum, quæ tanquam singularia continentur sub ratione communi formaliter revelata: v. g. quòd Petrus sit redemptus à Christo, continetur sub vniversali revelata, quòd omnis homo sit redemptus à Christo.

142. Notandum 4. Objectum conclusionis ex aliquo revelato deductum quà deductum, non esse objectum fide divinâ credibile, quidquid affirmet Hurtardus Mendoza. Ratio est, quia assensus talis conclusionis non nititur adæquatè & immediatè revelatione divinâ, & Veracitate Dei, tanquam motivis, quod tamen requiritur ad actum fidei divinæ. Dixi, *non niti immediatè*. Mediatè enim & vltimatè certum est niti, quia objectum revelatum, cui innititur conclusio, credimus propter Veracitatem Dei & revelationem Dei. Deinde dixi, quòd non nitatur adæquatè; quia partialiter vltimò nititur connexione sui objecti directi cum objectis præmissarum.

Est ergo præsens controversia, vtrum objectum hujusmodi conclusionis Theologicæ, specificativè & materialiter sumptum, possit credi fide divinâ, si præcedat explicatio & penetratio connexionis illius objecti cum objecto revelato, quæ explicatio potest fieri per discursum Theologicum prævium, vel etiam per claram aliquam apprehensionem suasivam, quâ repræsentetur connexio inter revelationem & objectum virtualiter revelatum: quæritur, inquam, vtrum objecto sic explicato, hoc est, cognitâ tali connexione inter objectum & virtualem sui revelationem v. g. inter hoc quod est: *Christum esse risibilem*, & inter revelationem, quòd Christus sit homo, possit elici actus fidei divinæ dicens: Credo Christum

esse risibilem, quia Deus revelando ejus humanitatem revelavit etiam esse risibilem.

§. II.

Probabilior Doctrina diversis Conclusionibus traditur.

143. DICO 1. Objectum ex duabus propositionibus revelatis per legitimam consequentiam deducibile, est sufficiens objectum fidei, potestque fide divinâ credi, etiamsi ipsum non sit formaliter revelatum sub illis terminis, sub quibus ponitur in Conclusione Theologica. Exemplum sit in hac propositione. *S. Matthæus accepit Spiritum S.* dico hanc posse credi fide divinâ, propter duplicem revelationem, quarum vnâ Deus revelavit Spiritum S. venisse supra singulos Apostolos, & alterâ revelavit S. Matthæum fuisse Apostolum. Probatur Conclusio. Illud omne est de fide, adeoque sufficienter revelatum, quod si fingatur esse falsum, sequitur vel Deum esse mendacem, vel aliquam revelationem non esse positam, quæ tamen supponitur esse posita: atqui sic se habet objectum de quo disputamus: ergo &c. Major est clara: nam quando aliquod objectum non est sufficienter revelatum, tunc qui illud negaret, non posset redargui, quasi vel negaret Veracitatem Dei, vel negaret sufficientiam revelationis verè sufficientis, sed argueretur solùm negare sufficientiam revelationis, reverà non sufficientis: ergo id cujus falsitas non potest consistere cum Veracitate Dei & ejus revelationibus, est sufficienter revelatum, adeoque credibile. Minor autem facilè probatur. Qui enim negaret S. Matthæum accepisse Spiritum S. cogeretur negare vnam ex his duabus propositionibus revelatis: scilicet, vel Spiritum S. non venisse supra singulos Apostolos, vel S. Matthæum non fuisse Apostolum: quodcunque autem horum ponatur esse falsum, sequitur, vel Deum esse mentitum, vel alterutrum non revelâsse.

144. Quæres, quo sensu Theologi communiter negent tale objectum, etiam vt deductum, esse credibile fide divinâ. Ratio dubitandi est, quia hoc quod est: esse deductum; nihil videtur superaddere, quàm connexionem objecti Conclusionis cum duabus præmissis revelatis: atqui hæc connexio semper debet attingi, quomodocunque dicatur credi objectum conclusionis Theologicæ: ergo frustranea videtur esse distinctio inter objectum vt deductum, & objectum vt explicatum.

Ego, vt ingenuè fatear, non video magnam vtilitatem illius distinctionis, nec existimo facilè contingere, vt ejusmodi objectum aliter attingatur quàm per actum fidei, adeoque vt explicatum. Nihilominus responderi potest cum Card. de Lugo n. 295. quòd quando interveniunt duæ quodammodo conclusiones & duæ Bonitates consequentiæ, vna quâ deducitur objectum formaliter revelatum ex revelatione & Veracitate; altera quâ deducitur Conclusio ex rebus revelatis, quod, inquam, tunc ideo Conclusio Theologica non credatur actu fidei divinæ, quia hæc secunda bonitas consequentiæ non pertinet intrinsecè ad motivum fidei sicut prior, & sic miscetur motivum partiale extraneum.

145. Quæres iterum: quomodo ergo resolvendus esset actus fidei, credens Spiritum S. venisse supra Matthæum. ℟. Hoc modo, Spiritus S. venit supra Matthæum, quia Deus verax revelando venisse supra singulos Apostolos, & S. Matthæum esse Apostolum, revelavit etiam venisse supra Matthæum. Quodsi velis resolvere in forma Syllogismi, fiet hoc modo. Quemcunque Deus verax revelavit accepisse Spiritum S. ille Spiritum S. accepit. Sed Deus revelando omnes Apostolos accepisse, & S. Matthæum esse Apostolum, revelavit hocipso S. Matthæum accepisse Spiritum S. ergo accepit S. Matthæus Spiritum S. Ecce! quomodo hoc objectum immediatè nectatur cum Veracitate & Revelatione, quomodo non necteretur in Syllogismo Theologico, sed necteretur immediatè cum duabus revelatis, nempe S. Matthæum esse Apostolum, &, Spiritum S. venisse supra singulos.

Veniamus nunc ad illas Conclusiones, quæ ex vna revelata, & altera evidente deduci possunt. De his

Prima sententia affirmat vniversim, esse fide divinâ credibiles, seu rectiùs, earum objecta esse credibilia. Ita Canus, Okam, Vega, Franciscus de Lugo, Ripalda.

Secunda Sententia vniversaliter negat. Ita Greg. Ma: Capreolus, Cajetanus, Val. Cordub. Molina, Hurtad. Arriaga.

Tertia distinguit. Si enim proprietas deducta est Metaphysica, hoc est, formaliter tantum distincta ab objecto formaliter revelato, tunc ait posse credi fide divinâ, si verò sit realiter distincta, negat. Ita Suarez & Card. de Lugo.

Quarta sententia est Card. Pallavicini, qui aliter, & meo judicio meliùs distinguit, cum quo

146. DICO 2. Vt objectum Conclusionis Theologicæ possit credi fide divinâ, non sufficit vniversim, vnam præmissam esse revelatam, & alteram evidentem evidentiâ physicâ. Et contra AA. primæ sententiæ. Probatur primò, à posteriori, ex absurdo. Hinc enim sequerentur plurima esse fide divinâ credibilia, quæ nemo concederet esse credibilia, v. g. nemo facilè diceret esse fide divinâ credibile, quòd Deus defacto offerrat suum concursum omni igni existenti in rerum natura. Certè hoc non est jam magis credibile fide divinâ, quàm fuerit tempore ignis Babylonici, tunc autem falsum erat, Deum omni igni offerre suum concursum ad calefaciendum passum applicatum, quia non calefecit pueros existentes in fornace. Sequela probatur. Hæc enim conclusio deduci potest ex vna revelata, & altera evidente hoc modo. Omnis caussa operans habet concursum

concursum Dei oblatum ad talem operationem (præscindendo à diversis modis explicandi hunc concursum) Sed omnis ignis est caussa operans calorem in passo applicato: ergo omnis ignis habet oblatum concursum. Min. est physicè evidens. Major est de fide, si præscindamus a modis explicandi hunc concursum, quia de fide est, quòd Deus posset ignem ab operatione impedire. Eodem modo esset fide divinâ credibile, B. Virginem fuisse gravatam vtero, sicut gravantur aliæ fœminæ.

Probatur Conclusio 2. Ex supra dictis. Illa solummodo sunt fide divinâ credibilia, quæ si ponantur esse falsa, deduceretur, vel Deum esse mentitum, vel non revelâsse, quod tamen defacto revelavit. atqui potest poni esse falsa conclusio deducta ex vna revelata, & vna physicè evidente, absque eo quòd deduceretur Deum esse mentitum, aut non revelasse, quod revelavit. Ergo &c. Minor probatur in exemplo allato, quia falsitas hujus Conclusionis: *ergo omnis ignis habet paratum Dei concursum:* potest sufficienter refundi in falsitatem hujus propositionis physicè tantùm evidentis: *Omnis ignis defacto calefacit.* & falsitas hujus: *Ergo B. V. fuit vtero gravata:* potest refundi in falsitatem hujus: Omnis prægnans gravatur vtero: atqui per hanc falsitatem nec asseritur Deus mentitus, nec tollitur aliqua revelatio, vt patet: ergo &c.

147. DICO 3. Sunt tamen aliqua credibilia fide divinâ, quæ Deus non revelavit immediatè & explicitè in particulari, sed tantùm in genere, ex qua generali revelatione possunt discursu Theologico deduci. Pro cujus probatione

Supponendum est, quòd in Ecclesia sit potestas definiendi aliqua, quorum explicita revelatio non habetur in Scriptura: v. g. hunc vel illum esse Sanctum: vel si sunt explicitè revelata, verbis tamen obscuris seu æquivocis, quorum interpretatio pertinet ad Ecclesiam, quæ potest definire, quis sit legitimus sensus illorum, v. g. quòd per hæc verba: *Accipite Spiritum S. &c.* fuerit instituta potestas absolvendi Sacramentaliter: vel denique, quia talis revelatio non est nobis sufficienter applicata, quia consistit in Verbo non scripto, nempe traditione, vt, quòd parvuli sint Baptizandi. Hoc posito

Quando Ecclesia aliquid hujusmodi definit, illud est fide divinâ credibile, vt docent communiter Theologi: atqui talia non sunt formaliter & explicitè revelata, vt ostensum est, sed tantùm implicitè & in genere. Ergo aliqua sunt credenda, quæ non explicitè sunt revelata.

Itaque Veritas articulorum ab Ecclesia definitorum, deduci potest discursu Theologico hoc modo. Ecclesia in proponendis & definiendis dogmatibus per Concilium legitimè congregatum & confirmatum, non potest errare. (& hoc est revelatum in Scriptura, dicente, quòd sit Columna & firmamentum Veritatis) atqui Concilium Tridentinum legitimè congregatum & Confirmatum, definit, quòd per Consecrationem fiat conversio panis in corpus Christi &c. ergo datur talis conversio. Hæc Conclusio, cujus objectum est fide divinâ credendum, non est formaliter & explicitè revelata, sicuti, qnòd Verbum Caro factum est: & deducitur ex vna revelata, & alia propositione, quæ constat naturali experientiâ, & morali evidentiâ, nempe Concilium fuisse legitimè congregatum, confirmatum, & hoc definivisse: ergo vera est conclusio, nempe quòd aliqua non formaliter revelata in Scriptura sint fide divinâ credenda.

148. Aliud exemplum & expeditius sit hoc. De fide est, omnes descendentes ab Adamo (exceptâ B. Virgine) esse conceptos in peccato originali: at verò, quòd ego & tu simus concepti in peccato Originali, non est explicitè & formaliter revelatum, quia non est revelatum nos descendisse ab Adamo, nam hoc est prædicatum separabile à substantia. Jam ergo minor propositio, ex qua illa Theologica Conclusio deducitur, est solùm naturaliter evidens. Quòd autem vnicuique sit credendum, se esse conceptum in peccato originali, se esse redemptum à Christo &c. constat ex symbolo fidei, in quo dicimus: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis &c.*

Cùm ergo, vt vidimus, aliqua objecta Theologicarum Conclusionum sint fide divinâ credibilia, alia non item, quærenda est regula cognoscendi & discernendi objecta credibilia à non credibilibus: quam quidem Regulam nos facilè deducemus ex nostra doctrina, quàm suprà tradidimus de resolutione fidei divinæ, vnde & illa doctrina confirmabitur.

149. Notandum est cum Card. Pallavicino, aliqua revelari à Deo in genere in hunc finem, vt credantur solùm in genere, v. g. Deum cognoscere omnia cognoscibilia sine imperfectione, neque tamen voluit Deus vt in particulari crederemus, quòd Deus cognoscat chymæras, neque enim hanc intentionem manifestavit, neque etiam revelavit, quòd Chymæra sit objectum cognoscibile sine cognoscentis imperfectione. Alia verò Deus revelavit quidem in genere, sed in eum finem, vt crederentur in specie & individuo: quæ intentio plerumque ex ipsa materia & circumstantijs colligi potest: quia verò inconveniens fuisset, singula per immediatas revelationes revelare & enumerare, sufficiebat revelatio Generalis, determinabilis deinde & applicabilis objectis particularibus per revelationem mediatam. Hoc posito

150. Regula hæc constitui potest. Quæ revelantur à Deo generatim priore modo, non sunt objecta fide divina credibilia in particulari & individuo: quæ verò revelantur generatim secundo modo, objectum individuale evadit credibile fide divinâ. Ratio est, quia illa generalis revelatio derivatur ad particularia, mediante aliquâ evidentiâ morali, seu experientiâ morali,

quæ à DEO eum in finem inducitur, vt sit complementum locutionis generalis in ordine ad credendum objectum particulare, cujus fidem DEUS in illa generali revelatione intendit. Hujusmodi complementum est evidentia naturalis quam habemus, quòd Petrus descenderit ab Adamo: item evidentia moralis, quòd Concilium Tridentinum fuerit legitimè congregatum: per has igitur evidentias particularizatur & applicatur objectis particularibus revelatio generalis Dei, & quidem ex prima ejus intentione.

151. Declaratur ampliùs. Ad hoc vt sit de fide, Petrum esse redemptum à Christo, debet hujus propositionis falsitas vel arguere Deum mendacē, vel debet negari aliqua revelatio Dei, quæ tamen defacto est locutio Dei, ex regula generali paulò superiùs tradita: atqui si illa evidentia moralis, quòd Petrus descendat ab Adamo, non esset complementum locutionis divinæ, tunc nec argueretur Deus mendax, nec negaretur aliqua revelatio quæ defacto datur: ergo vt illa propositio sit de fide, debet evidentia illa moralis esse complementum locutionis divinæ. Minor probatur. Nam falsitas illius propositionis, quod Petrus sit redemptus à Christo, refundenda esset in falsitatem illius evidentiæ naturalis, quòd Petrus descendat ab Adamo, atqui sic Deus non argueretur mendax: quia adhuc verum esset, quòd omnis homo descendens ab Adamo esset redemptus: ergo si est de fide, Petrum esse redemptum, debet falsitas hujus propositionis tollere aliquam locutionem Dei: atqui nihil tollitur præterquam veritas illius evidentiæ naturalis: ergo illa debet habere rationem locutionis divinæ.

152. Doctrinam hac Conclusione traditam agnovit Suarez *disp. 3. sect. 11. n. 11.* reddens rationem, quare sint de fide credenda quæ Ecclesia definit, his verbis. *Quia, quod Ecclesia definit, Deus per Ecclesiam testificatur. Ecclesia autem definit talem veritatem in se ac formaliter ergo jam Deus illam in se ac formaliter testificatur: ergo eo ipso est constituta sufficienter sub objecto formali fidei: nam testimonium divinum idem est, & æquè certum, sive per seipsum, sive per Ecclesiam, vel alium ministrum NB. Deus illud præbeat. Ita Suarez.*

153. Quando igitur Theologi aliqui dicere solent, non dari in Ecclesia nova dogmata de novo credenda, plus dicere nolunt, quàm quòd nihil incipiat de novo esse de fide formaliter & explicitè, quod priùs non fuerit de fide radicaliter, implicitè, & virtualiter, quatenus nimirum Ecclesia ea solùm definit explicitè credenda, quæ per assistentiam Spiritûs Sancti cognoscit contineri virtute in objecto jam antè formaliter revelato. Et hoc sensu (inquit rectè Card. Pallav.) verum est effatum commune: *Non datur nova revelatio in Ecclesia.* significat enim, non dari revelationem, quæ non sit complementum revelationis præteritæ; non tamen significat, non dari novam locutionem quandam Dei, quæ sit explicatio & complementum revelationis antiquæ, ita vt reddat nobis de fide, id quod antè non erat de fide, cùm scilicet Deus per Ecclesiam explicat, de quibusnam objectis particularibus locutus sit, quando edidit revelationes vniversales.

154. Hinc vlteriùs inferunt DD. discrimen inter Doctrinam Conciliorum & inter Scripturam Canonicam. Nam Scriptor Canonicus scribit independenter à revelatione alia præcedente & alteri facta: Ecclesia autem in Concilio evolvit revelationes antè factas, & ideo non potest condere novam Scripturam Canonicam, propter defectum revelationis novæ.

§. III.

Applicatur Regula tradita particularibus exemplis.

SOlent à Theologis adduci varia exempla Conclusionum Theologicarum, de quibus dubitatur, an sint credibiles fide divinâ, in quibusnamen non omnes satis consequenter procedunt.

155. Quæritur ergo primò, an sit fide divinâ credibile, me carere gratiâ sanctificante, quando in me experior affectum liberum peccatum esse graviter; quia vniversaliter revelatum est, propter peccatum mortale privari hominem gratiâ sanctificante. Quæritur 2. An à me possit fide divinâ credi, hunc infantem à me baptizatum, esse verè justificatum, quia evidenter tunc me omnia necessaria adhibuisse, & aliunde vniversaliter revelatum est, omnem infantem rite baptizatum, esse justificatum. Quæritur 3. An sit fide divinâ credibile, infantem non à me, sed ab alio baptizatum, esse justificatum. Quæritur 4. An sit fide divinâ credibile, hanc numero hostiam esse consecratam. Quæritur 5. An sit de fide Clementem IX. Esse Vicarium Christi, & Pontificem Maximum. De hoc vltimo agemus sequente. nunc breviter de prioribus.

De tertio & quarto exemplo, communis & vera Theologorum sententia docet, non esse objecta fide divinâ credibilia: quia non apparet vlla ratio, quòd Deus revelationes illas generales ordinaverit ad nos obligandos, vt hæc talia particulari credamus, præsertim cùm contingat hæc sacramenta sæpè vel ex malitia vel imperitia invalidè administrari. Neque refert, quòd hostia proponatur adoranda: nam rectè docet Lugo, quòd etiamsi non credatur fide divina, esse consecratam, adhuc sit adoranda, non tantùm conditionatè, sed etiam absolutè, quia etiamsi sine sufficiente fundamento privandus esset honore suo, & cultu debito. Sic etiam, inquit Lugo, Pater est obligatus alere filios, quos dicit præsumere esse suos, licet posset quandoque sine imprudentia formidare, an sint sui.

156. Quod attinet ad primum & secundum exemplum, Auctores non conveniunt. Plures affirmant, quos sequitur Suarez, Hurtadus, Lugo, Ripalda. Negant, Major, Okam, Gorbel.

briel, Capreolus, Cajetanus, Thomistæ, cum S. Thoma, quos sequitur Molina & Ariaga. Ego de his exemplis idem dicendum existimo, quod de prioribus. Loquor autem semper de fide obligatoria. nolo enim disputare de fidei actu ad quem non obligemur, qualem admittit Ripalda. Ratio negandi est, quia Revelationes generales tunc solùm videntur habere locum, & valere ad inducendam obligationem credendi particularia, quando motiva credibilitatis, per quæ applicanda est revelatio generalis rebus particularibus, quando inquam, sunt ejusmodi, vt per se loquendo possent etiam alijs fidelibus applicari ad objectum tale particulare credendum: sic enim revelatio generalis de aliquo objecto in genere, sit etiam generalis de quovis objecto particulari: v.g. motiva credibilitatis quæ habeo ad credendum, me esse redemptum à Christo, etiam probant de Petro, Paulo &c. & ideo non tantùm mihi de me, sed mihi etiam de Petro, Paulo probant, & econtra his de me. atqui motiva credibilitatis, quæ mihi probant, infantem à me baptizatum esse justificatum, & me carere gratiâ ob peccatum à me commissum, hoc ipso quia consistunt in experimentali cognitione propriâ, non possunt alijs fidelibus applicari, & ideo non videtur Deus ad hæc objecta credenda voluisse me in particulari graviter obligare: nemo enim in se agnoscit gravem obligationem credendi, quòd Deus ipsi in particulari per talem experimentalem cognitionem loquatur, sicut agnosco, quòd Deus mihi per motiva credibilitatis, ex quibus judico me descendere ab Adamo, velit significare, me esse redemptum à Christo, & ad hoc credendum me obligare; nempe quia hæc obligatio conducit ad debitam reverentiam Christo exhibendam &c.

§. IV.

Vtrum sit fide divinâ credibile, Clementem IX. esse verum Pontificem, & Concilium Tridentinum fuisse legitimum.

157. NOn est sermo de Pontifice, de cujus electione, num legitima fuerit, potest prudenter formidari; sed est sermo de illo, de cujus legitimâ electione, & vniversali acceptatione tam parùm potest prudenter dubitari aut formidari, quàm parùm potest prudenter formidari ab homine litterato, vtrum aliquando Romæ exstiterit Cicero.

Prima sententia negat, id posse fide divinâ credi: idemque docet de Concilijs, non posse credi fide divinâ, ea fuisse legitima & legitimè confirmata, quæ à tota Ecclesia pro talibus sine contradictione habentur, & quorum definitionibus nemo audet contradicere. Ita Turrecremata, primus Generalis Inquisitor in Hispania, Cajetanus, Canus, Cordubensis, & plures alij apud Castro Palao.

Secunda sententia, meo judicio verissima, communique fidelium sensui consentanea, affirmat. Ita, quantùm scio, omnes impressi auctores Societatis.

Probari solet hæc sententia primò, auctoritate Martini. V. qui in Bulla relata in Concilio Constantiensi, statuit, vt ab Hæreticis, qui Ecclesiæ Catholicæ reconciliari volunt, primùm omnium exigatur, vt credant, Papam canonicè electum, qui pro tempore fuerit (nomine ejus expresso, v.g. Clementem IX.) esse successorem Petri, & habere supremam potestatem in Ecclesia Dei. In qua constitutione supponit Pontifex, esse objectum fidei divinæ, Clementem IX. hoc Anno quo hæc scribo, 1668. sedentem, esse Successorem S. Petri.

158. Respondent aliqui, illam Constitutionem non exigere fidem absolutam, sed virtualiter conditionatam, nempe, si talis Pontifex sit canonicè electus. Hæc tamen responsio non videtur planè satisfacere. Si enim ab hæreticis tantùm exigebatur, vt in genere crederent Papam esse Successorem Petri, ex hypothesi quòd sit legitimè electus, quid opus erat exigere, vt adderetur nomen singulare? hoc sanè videtur consultò additum, ad præcludendas fraudes & dolos, quibus alioquin intentio Pontificis eludi posset. Fingamus enim quòd ille Pontifex ab hæreticis reversis nominatus postmodum approbâsset aliquod Concilium, vel cum Concilio aliquid definivisset, hæretici illi vi suæ professionis factæ non fuissent obligati credere absolutè hujusmodi articulos, sed tantùm conditionatè, nempe si concilium sit à Papa legitimè electo confirmatum. potuissent deinde facilè excogitare modum impugnandi electionem, prout defacto plurium Pontificum electiones quasi iniquas, Simoniacas &c. infestant. quibus omnibus inconvenientijs occurritur, si compellantur credere absolutè, hunc numero Papam esse successorem Petri, sicut compelluntur absolutè credere, Vicariatum esse à Christo institutum.

159. Probari solet 2. Si non est de fide, Clementem IX. esse verum Pontificem (& sic de alijs prædecessoribus) poterimus formidare licitè, ne ejus definitiones fallant, ex defectu Assistentiæ Spiritûs S. quæ tamen Petro ejúsque successoribus, non vtique fictis & apparentibus, sed veris & legitimis, promissa est, & sic cum totius Ecclesiæ confusione & periculo discordiæ, poterunt omnia Pontificum Decreta admittere formidinem; adeoque nec agnoscetur obligatio credendi quæ in Concilijs definita sunt, sícque tandem evertetur Fidei Regula & Judex Controversiarum.

Respondent aliqui, assensum fidei divinæ, quem præbere debemus Pontificijs decretis, non requirere, vt fide divinâ credatur esse verus Pontifex, à quo illa decreta procedunt, quia etiam pseudopapa, habitus ab Ecclesia pro legitimo, est infallibilis, Deo nimirum in Bonum Ecclesiæ supplente

plente defectum, vt docet Lessius *lib. 2. de Just. c. 35. dub. 25. n. 146.* & Tanner, ac proinde nullum periculum erit, ne Pontificum decreta in dubium vocentur.

Hæc tamen responsio sufficiens non est. Deberent adversarij adferre Testimonia Scripturæ, quibus promittatur Pseudopapæ illa infallibilis Assistentia Spiritûs Sancti. Quodsi afferant illa, quibus jubemur audire Ecclesiam, & quibus promittitur Ecclesiæ, quòd nunquam sit erratura, vtpote Columna & firmamentum veritatis, & inde velint colligere, ad providentiam Dei spectare, vt etiam Pseudopapam & pseudoconcilium ita gubernet, ne inducant totam Ecclesiam in errorem, ego meliori jure dicam, & ex illis locis colligam, & quidem magis consentaneè verbis, ad providentiam Dei spectare, non permittere, vt Ecclesia tota erret circa Papam, recipiendo vt legitimum, qui ratione impedimenti occulti sit incapax, qualis esset, non Baptizatus. An non hæc providentia potiùs decet Deum, quàm vt permittat aliquem à tota Ecclesia vt Christi Vicarium & Caput Ecclesiæ visibile coli, qui quidem talis revera non sit, habeat tamen assistentiæ extraordinariæ privilegium? Quando enim Petro dictum est. *Supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* omnes Catholici fatentur, promissionem factam esse Petro & Successoribus ejus: Adversarij volunt, promissionem etiam se extendere ad Pseudosuccessorem: hoc, inquam, vim infert textui. primò quia successor putatitius non est simpliciter & absolutè successor, sicut homo pictus aut putatitius, v.g. monstrum, non est simpliciter homo. Secundò, quia hocipso quòd Christus promiserit, Ecclesiam suam fundandam esse supra Successores Petri, promisit etiam, se semper de successore provisurum: quis autem dicat, putatitium successorem esse opus divinæ providentiæ?

Confirmatur exemplo simili. Si Deus promitteret Imperatori vel Regi perpetuitatem Imperij aut Regni his verbis: *Super te & tuos posteros fundabo Romanum Imperium* aut Regnum: quis auderet aut posset prudenter ambigere, quin Deus duo promitteret: primum, quòd semper sint futuri veri posteri: secundum, quòd ex illis vnus sit Imperio præfuturus? quis diceret, satisfacturum Deum promissioni, si fieri permitteret, vt per impostutam infans supponeretur acsi esset ex posteris Imperatoris, & deinde Imperio præficeretur? Pari modo, quando Deus Petro promisit, quòd super ipsum & Successores ejus vellet fundare Ecclesiam suam, & assistere ne errent; profectò duo censendus est promisisse: primum, quòd non permittet deesse in Ecclesia Successorem verum Petri, saltem pro eo tempore, quo est necessitas aliquid definiendi. Secundum: quòd tali Successori velit assistere.

160. Probatur nunc Conclusio ex principijs suprà positis & probatis. Illud est objectum fide divinâ credibile, quod Deus intendit vt credatur in particulari, quando aliquid revelavit in genere: atqui quando Deus revelavit in genere suam Ecclesiam esse gubernandam per definitiones & decreta à Petro & Successoribus ejus, tanquam Vicarijs suis, intendit, vt crederetur in particulari, illum esse successorem Petri, quem tota Ecclesia pro tali sine contradictione recipiret, & qui non nisi per schisma repudiari posset, qualis est hodie Clemens IX. ergo vera est conclusio. Major superiùs declarata est. Minor probatur. Motivum & caussa instituendi in Ecclesia Vicariatum Christi, fuit, vt haberemus certam, externam & sensibilem Regulam, ac Judicem Controversiarum in rebus fidei: atqui hæc intentio frustraretur, si non crederetur in particulari eum esse legitimum Papam, qui ab omnibus agnosceretur habere potestatem definiendi & gubernandi Ecclesiam: impossibile enim est, nos ejus definitiones credere, nisi credamus eas esse propositas nomine Christi: atqui non essent propositæ nomine Christi, si is qui proponit non esset verus Vicarius Christi, non enim loqueretur nomine Christi, sed falsò putaretur loqui. Ergo &c.

Confirmatur. Quando Christus revelavit, se velle per suum Vicarium judicare Controversias Fidei, vtique voluit eo modo hoc credi, quo modo potest nobis Vicarius esse Judex & Regula: atqui non potest nobis Vicarius Christi esse Judex & Regula, si consideretur solùm in genere aut specie, & non in particulari: ergo voluit credi in particulari aliquem certum Vicarium & Judicem. atqui non alium, quàm illum, quem vt talem tota veneratur Ecclesia. Ergo &c.

161. Confirmatur iterum à simili. Quando Deus Ecclesiæ revelavit, quatuor Evangelia esse Scripturam Canonicam, tunc immediatè & formaliter non revelavit, Evangelia impressa, quæ nos in manibus habemus, eo contextu quo impressa sunt, esse Verbum Dei, & carere omni additamento, aut detractione, vel corruptela notabili: hoc inquam Deus non revelavit formaliter & immediatè, sed hoc deducitur tanquam Conclusio Theologica ex vna revelata, & ex moraali certitudine, hoc modo. Liber Evangeliorum traditus Ecclesiæ ab Apostolis, est Verbum Dei. Sed Liber Evangeliorum quem in manibus habemus, est sine corruptela notabili ille ipse liber qui traditus est Ecclesiæ ab Apostolis: ergo est Verbum Dei, seu Scriptura Canonica. Quæro nunc ex adversarijs, an objectum hujus Conclusionis, non quidem vt deductum, sed vt explicatum, sit fide divinâ credibile? Non negabunt: alioquin nullus determinatus textus in toto Evangelio (& eadem est ratio de alijs Scripturis Canonicis) esset fide divinâ credibilis: ergo est de fide credibilis quivis textus particularis, non quidem conditionatè, *si non sit corruptus:* sed absolutè: ergo Deus revelando in genere intendit fidem in particulari: nihil enim est de fide, quod Deus non intendit, vt crederetur. Quæro vlterius, vnde adversarij colligant, Deum sic intendisse? sanè ex nullo alio capite, quàm quia Deus vo-

luit penes nos existere & asseruari Verbum Dei incorruptum ad nostram in fide instructionem: ad hoc autem non sufficeret credere præcisè, Evangeliorum librum esse Canonicum, si non sit corruptus: sed debet credi absolutè: adeoque Deus voluit hocipsum credi, quod est: *non esse corruptum*. & sic certitudo illa moralis est complementum locutionis divinæ, & quà tale assumit certitudinem metaphysicam per denominationem extrinsecam à conjunctione cum revelatione generali.

Pari modo philosophandum est de Summo Pontifice, qui est constitutus Interpres Verbi Dei, nempe dicendum est, Deum revelâsse quidem in genere, suam Ecclesiam gubernandam esse per suum Vicarium, qui sit Judex Controversiarum fidei, voluisse tamen à nobis in particulari & absolutè credi, illum esse suum Vicarium, qui pro tali sine contradictione agnoscitur: adeoque hæc agnitio erit complementum illius revelationis præteritæ generalis, & quasi confusæ.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

162. Objiciunt primò & principaliter. Illud non est objectum fide divinâ credibile, quod non est sufficienter revelatum. Sed Clementem IX. esse verum successorem Petri, non est sufficienter revelatum. Ergo &c. Minor probatur. Illud non est sufficienter revelatum, quod non connectitur cum revelatione generali, mediante certitudine tantâ, quæ sufficiat, vt singulare sine vlla prudenti formidine judicari possit contineri sub Generali: sed ita se res habet in casu nostro: ergo &c. Minor probatur. Ad hoc vt Clemens IX. sit verus successor Petri, debet esse Baptizatus: sed hoc non habetur ex sufficienti morali evidentia, prout de aliorum infantum Baptismo suprà dictum est: quia posset de tali Baptismo prudenter formidari. Ergo &c. ℟. Negando minorem, & paritatem inter certitudinem Baptismi Clementis IX. & aliorum infantum. Discrimen autem originaliter desumendum est ex eo, quòd moralis certitudo, Clementem IX. esse Baptizatum, connectatur cum motivis credibilitatis, quòd sit legitimus Papa. Itaque Baptismus Clementis IX. nobis aliter & certiùs innotescit, quàm Baptismus alterius infantis: Nam hujus certitudo desumitur vnicè ex Testimonio hominum, & ex bonitate ac sufficiente doctrinâ ministri, & sæpè ex vnius solius hominis testimonio, quæ omnia admittunt prudentem formidinem, nec sunt digna creditu, quòd Deus ea non permittat fallere. At verò Certitudo Baptismi Clementis Papæ innotescit per hoc, quòd Deus revelavetit suum Vicarium esse Judicem infallibilem fidei, & ea quæ credenda proposuerit, esse credenda tanquam à Deo dicta: & quia hanc vniversalem revelationem voluit credi circa singularia, vt probavimus, ideo tenemur credere Vicarium Christi in singulari tunc, quando habetur ea moralis certitudo, quâ major requiri, & de via ordinaria haberi non potest; hæc autem est, quando à tota Ecclesia (quam non est vllo modo probabile aut formidabile, posse Deum permittere errare circa caput suum visibile) pro Vicario agnoscitur: ergo quandocunque adest hæc certitudo moralis, illa sufficit ad firmiter credendum, quòd revelatio illa Generalis se extendat ad talem numero hominem, & quòd ad Dei providentiam pertineat, non permittere, vt nos hæc moralis certitudo fallat, estque complementum revelationis generalis hæc vniversalis acceptatio. Ergo à primo ad vltimum, tametsi Baptismus Clementis spectati secundùm suum esse privatum, non habeat eam certitudinem moralem, vt sit objectum fidei directum, nihilominus postquam habemus moralem certitudinem sufficientem ad hoc, vt credamus hunc hominem esse verum Christi Vicarium, hoc ipso indirectè & implicitè ac consecutivè habemus fundamentum sufficiens credendi, esse Baptizatum, quia Baptismus est jure divino requisitus.

Confirmatur à simili. Non est objectum fide divinâ credibile, nec fundatum in sufficienti morali certitudine, quòd hic numero homo sit verus Sacerdos: si tamen contingeret, prout contigit non semel, vt in elevatione hostiæ videremus Christum in specie humana, vel si videremus ex hostia à Judæis puncta sanguinem effluere, teneremur hoc miraculo credere, illam hostiam esse consecratam, & sic indirectè simul crederemus, illum hominem esse verum Sacerdotem, qui illam hostiam consecravit.

163. Objiciunt 2. Ex nostra Conclusione sequitur, Schismaticos esse Hæreticos: consequens est contra sensum communem. Schismatici enim non dicuntur peccare contra fidem, sed solùm contra charitatem, vtpote scindentes vnitatem inter fideles. Sequela probatur. Quia Schismatici dicuntur, qui licet in genere credant, Papam esse Vicarium Christi, negant tamen hunc hominem in particulari esse Papam legitimè electum. atqui secundùm nos hoc est objectum fidei, & omnis qui negat aliquod objectum fidei, est hæreticus. ℟. Negando sequelam. Ad hæresin formalem enim duo requiruntur. primum, vt objectum fide divinâ credibile sufficienter applicetur, ita vt cognoscatur obligatio credendi. Secundum, vt possit in foro externo probari dissensus, & sufficiens applicatio: vtrumque apud Schismaticos plerumque deest. Nam imprimis propter auctoritatem contrariæ opinionis, & insufficientem penetrationem nostrorum fundamentorum, non applicatur illis objectum ita, vt nascatur obligatio credendi: vnde licet objectum sit fide divinâ credibile speculativè loquendo, hoc est, quia à parte rei substat divinæ revelationi, attamen practicè non est cuivis intellectui proximè credibile. Secundò: etiamsi illis applicaretur, & ideo dissentiendo peccarent contra

fidem, non propterea essent censendi inter hæreticos; non possunt enim Schismatici convinci de sufficiente applicatione, propter probabilitatem contrariæ sententiæ. Cæterùm, sæpè Schisma est conjunctum cum Hæresi, quia sæpè Schismatici ita negant hunc esse Papam, quia negant, penes Ecclesiam Romanam esse Vicariatum. Immò omnes Schismaticos pertinaces crediderim posse esse suspectos de Hæresi.

164. Objici posset 3. Si nostra sententia vera est, sequitur perperam & frustra introducta esse impedimenta Juris humani, ad irritandam electionem, etiam quando sunt occulta. v. g. si electio sit Simoniaca, vel non habens debitum numerum suffragiorum, nempe duas tertias &c. consequens est absurdum: ergo &c. Sequela probatur. Nam juxta nostram sententiam pertinet ad divinam providentiam, non permittere fieri electionem irritam cum tali impedimento. econtra illæ leges supponunt posse fieri talem electionem, quam illæ leges irritant. Quodsi ergo hæ leges possunt irritare electionem factam cum impedimento occulto, taliter electus erit tantùm Pontifex apparens, etiamsi postmodum à tota Ecclesia acceptetur, quia juxta regulam juris, quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit.

Respondet rectè Card. Pallav. n. 141. illas leges nec habere, nec posse habere locum, nec intelligendas esse nisi de prima electione quam faciunt Cardinales, per quam electionem non redditur adhuc fide certum, quòd electus sit verus Pontifex. At verò, (inquit citatus Cardin.) licet illa electio ex occulto impedimento fuisset irrita, adhùc sequeretur alia electio, nullo jure positivo irritabilis, quam facit tota Ecclesia, acceptando illum hominem pro vero Pontifice. hæc enim acceptatio licet moveatur ex errore præcedente, non est tamen conditionata sed absoluta. Melius quippe est, Ecclesiam habere pro vero Pontifice aliquem, qui fuerit invalidè electus, quàm ignoranter carere vero Pontifice, & eum pro tali venerari, qui reipsâ non sit.

165. Dicendum proinde est, in casu quo electores ordinatij elegissent aliquem habentem impedimentum irritans juris humani, penes totam Ecclesiam esse potestatem providendi sibi de capite legitimo, supplendo omnes Juris defectus, ne maneat acephala: censetur autem eligere eum quem acceptat. Hanc potestatem eligendi quasi secundò per acceptationem, supplendo omnes juris defectus, esse penes Ecclesiam, convincitur imprimis argumentis allatis pro Conclusione. Deinde declaratur dupliciter. Primò à paritate. Si enim ob incommodum simile, nempe, ne Dominia rerum essent incerta, jure civili, immò in quibusdam casibus etiam jure gentium, & naturali, introductus est modus acquirendi per Vsucapionem seu Præscriptionem, cujus beneficio, dependenter ab errore, fit alicujus rei Dominus ille, qui antea non erat Dominus, multò magis expedit, non esse in incerto auctoritatem divini Vicarij: atque adeo de jure divino & naturali est, vt, quicunque bonâ fide acceptatur ab Ecclesia pro tali, evadat talis, etiamsi priùs non fuisset. Secundò, id declaratur exemplo & ratione quæ affertur in lege *Barbarius* 3. de Officio Prætorum. vbi habetur casus, quod servus fugitivus fuerit electus Prætor, cùm tamen talis dignitatis ratione servitutis incapax esset: quare dubitatum est, an ejus acta valerent. Respondit Vlpianus contra Pomponium in hæc verba, (quæ deinde vim legis acceperunt) *Ego verum puto, nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est: cùm etiam potuerit populus Romanus ipse decernere hanc potestatem. sed etsi scivisset servum esse, liberum effecisset. Quod Jus multò magis in Imperatore* (nos dicimus in Pontifice Maximo) *observandum est.*

Dices. Ecclesia Acephala non potest dispensare in Constitutionibus præteriti Pontificis. Hanc non esse dispensationem, quia nulla constitutio inductiva impedimentorum extendi potest aut extendi potest ad talem casum, quo tale impedimentum non prodesset, sed obesset, dum esset in caussa, vt haberetur pro vero Vicario, qui tantùm esset existimatus, & per consequens, cum nec acta valerent, nec definitiones tenerent. Id autem contra essentiam legis, esse per se nocivam.

166. Notatu dignum est, quod hic tradit Esparza, quòd tunc primùm incipiat esse dubium, hunc numero hominem pro tempore electum, esse verum ac legitimum Pontificem, quando tota aut ferè tota multitudo fidelium conspirat vniformiter assentiri legitimitati electionis, aut jam tot ac tales assensere, vt prudenter dubitari non possit, quin reliqui in eandem sententiam ituri sint, inspectis circumstantijs quæ in loco proximo electioni innotescunt. Hæc doctrina verissima est, & favet sententiæ communi, deferenti, ad actum fidei divinæ & supernaturalis non requiri, vt motiva credibilitatis quibus innititur, contineant aliquid inattingibile ab actu naturali. Nam cùm ista acceptatio seu consensus fidelium fiat successivè, per partes ejusdem omninò rationis, & possit assensus omnium fidelium totius Italiæ vel Hispaniæ attingi actu naturali, est planè irrationabile dicere, quòd deinde accedente consensu Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, & sic paulatim deinceps reliquorum regnorum, superaddatur aliquid inattingibile per actum naturalem, & tamen motivum adæquatum credibilitatis consistit in aggregato ex istis consensibus, etiam in sententia eorum, qui in rusticis ponunt aliquod discerniculum velut Cynosuram ad quam examinetur locutio parochi. Ergo falsum est fundamentum horum AA. quòd motiva credibilitatis non possint attingi actu naturali. de quo pluribus infrà.

Vlterius

Vlteriùs ex eadem doctrina colligo, ad motiva credibilitatis sufficere, quòd prudenter dubitari non possit, ea esse connexa cum divina revelatione, nec opus esse, vt judicentur per nullam potentiam Dei posse poni, quin habeant talem connexionem, sed esse metaphysicam necessitatem hujus connexionis, prout ijdem AA. supponunt. Probatur. Nam hoc quod est: *Non posse prudenter dubitari, quin etiam reliqui sint consensuri*: non infert metaphysicam necessitatem futuri hujusmodi consensûs, & benè posset stare cum hoc, quòd alij deinde contradicerent electioni. Declaratur in exemplo. Defacto pro Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis, tantus exstat fidelium sensus & consensus, vt prudenter dubitari non possit, tandem aliquando fore vt tota Ecclesia consentiat: (vel si hoc negas, idem negabo tibi in casu electionis) & tamen hinc non nascitur obligatio judicandi, quòd consensus defacto existens habeat metaphysicam connexionem cum revelatione Dei, aut consensu futuro totius Ecclesiæ, cùm necdum sit obligatio fidei circa hoc privilegium B. Virginis. sicut ergo hic tam amplus fidelium consensus potest attingi actu naturali, poterit etiam attingi consensus in electum Pontificem, quoad eam amplitudinem quam sufficere ad actum fidei docuit P. Esparza. Vno verbo. P. Esparza dum excludit solam dubitationem prudentem, tacitè fatetur, quòd illa motiva credibilitatis admittant formidinem imprudentem: ergo jam debet fateri, non esse talia, quæ fundent actum fidei, incompossibilem cum omni etiam imprudente formidine; quia non fundant judicium dicens: *dignum est credere, quòd tantus consensus non possit per vllam potentiam existere, quin post se trahat consensum totius Ecclesiæ.* quod tamen judicium exclusivum omnis formidinis requirunt aliqui, ad omnem actum fidei, sed malè, vt ex sequenti capite constabit.

CAPVT II.

DE CREDIBILITATE MYSTERIORVM FIDEI.

CONTROVERSIA I.

Vtrum vera Religio habeat pro se motiva evidentia Credibilitatis, sive absolutè, sive comparatè spectetur.

167. QVando quæritur, vtrum Religio nostra Catholica (quod nomen contra omnes hæreses semper obtinuit) digna sit, cui firmissimè, & exclusâ omni formidine, assentiamur, & adhæreamus, potest ea dupliciter considerari, nempe comparativè ad alias Sectas, & Absolutè. Comparativè consideratur, quando instituitur comparatio cum alijs Sectis, Gentilismo, seu Paganismo, Judaismo, & Hæresibus: & quæritur an mereatur omnibus alijs præferri, & omninò sit præferenda, ita vt omnes aliæ reddantur prudenter incredibiles. Absolutè verò consideratur, quando simpliciter quæritur, vtrum mereatur assensum firmissimum, præscindendo an dentur aliæ Sectæ, necne.

168. Dicendum est, Religionem veram, & omnia quæ in eâ credenda proponuntur, habere pro se talia motiva & argumenta, vt ijs rectè penetratis, evidens sit, non solùm eam esse dignam quæ alijs omnibus Sectis existentibus præferatur, sed etiam quæ simpliciter & absolutè firmissimè credatur, esse vera Religio, à Deo instituta vt in ea colatur, nec posse talia motiva convenire vlli falsæ Sectæ, etiam per divinam potentiam. Ita cum S. Thoma omnes Theologi contra Capreolum.

Probatur primò ex S. Scriptura Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Vnde subsumo: atqui non essent nimis credibilia, si tantùm essent probabiliter & opinativè credibilia, possent enim prudenter desiderari majora discernicula & signa, quæ redderent Testimonia Dei evidenter credibilia.

169. Probatur 2. Auctoritate SS. Patrum, qui semper hoc pro indubitato supposuerunt. S. Augustinus de Vtilitate credendi c. 17. *Nolle illi primitias dare, vel summæ impietatis, vel præcipitis ignorantiæ est.* Richardus de S. Victore *lib. 1. de Trin. c. 22.* ait, *genus esse dementiæ, in ijs vel aliquantulum dubitare*: subintellige *deliberatè.* Optima probatio est, motivorum credibilitatis exhibitio, quod Contr. sequente præstabimus. Contra hanc verissimam doctrinam objici possunt sophismata, quæ discipulorum ingenia fatigant.

170. Objicitur ergo primò. Si illis, qui hujusmodi motiva credibilitatis penetrârunt, est evidens, mysteria fidei esse credibilia, erit ijsdem etiam

etiam evidens, eadem mysteria esse vera: consequens est absurdum, sic enim tolleretur libertas, & obscuritas fidei. Sequela probatur. Falsum non potest reddi evidenter credibile: ergo omne quod est evidenter credibile, est verum. R. Negando sequelam. Ad probationem distinguo antecedens & consequens: Et hoc quod in antecedente & consequente dicitur, est evidens, nego; non est evidens, sed tamen probabilissimum, ita vt oppositum sit improbabile, concedo antecedens & consequentiam.

Instatur argumentum in alia materia. Argumenta quibus Theologi docent, mendacium in nullo casu posse esse licitum, nec per divinam potentiam aut dispensationem, talia sunt, quæ reddunt objectum summè credibile, hoc est, ita certum, vt oppositum sit summè improbabile. vlteriùs, id quod in aliquo casu potest esse licitum, non potest reddi probabilissimum quòd nunquam possit fieri licitum. hinc tamen non licet inferre: ergo evidens est, mendacium in nullo casu posse fieri licitum. quia non est evidens illa propositio: Id quod aliquando potest esse licitum, non potest argumentis probabilissimis reddi semper illicitum, vt oppositum non sit probabile.

171. Vrgebis. Hæc est bona consequentia. Hoc objectum est evidenter impossibile seu falsum: ergo est evidenter incredibile: ergo etiam erit hæc bona consequentia: hoc objectum est evidenter credibile: ergo est evidenter possibile seu verum. Probatur Consequentia Quia, vt habet regula Logica, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis valet consequentia: atqui τὸ *evidenter credibile* opponitur huic: *evidenter incredibile*: quod erat consequens prioris argumenti: ergo valet consequentia ad evidenter possibile seu verum, quod est oppositum illius antecedentis, scilicet: *evidenter impossibile seu falsum.* Respondent, & quidem sufficienter Bannez, Lugo, & Ripalda, negando secundam consequentiam, quæ non rectè infertur ex priore, vi regulæ Logicalis. Nam regula intelligit per oppositum *Contradictorium*: in objectione autem non assumitur contradictorium, sed contrarium, & quidem tale contrarium, inter quod & alterum datur medium, & potest vtrumque contrariorum esse falsum: potest enim aliquid nec esse evidenter credibile, nec evidenter incredibile, v. g. sydera esse paria. Itaque vt ex contradictorio consequentis argueretur contradictorium antecedentis, sic formandum esset argumentum. Hæc est bona consequentia: Hoc objectum est evidenter impossibile: ergo est evidenter incredibile. ergo & hæc est bona. Hoc objectum non est evidenter incredibile: ergo non est evidenter impossibile, & conceditur totum.

172. Placet tamen argumenti fallaciam ampliùs aperire. Et imprimis ostendo, quòd nimium probet. Probaret enim, quòd quidquid credo etiam fide humanâ, hoc ipso mihi esset evidens. Nam id quod credo fide humanâ, est evidenter credibile, licet non fide summâ: id verò quod est evidenter falsum, ne quidem fide humanâ est credibile, sed est omninò incredibile. Probatur autem sequela. Nam eodem modo liceret argumentari. Quod est evidenter falsum, est evidenter incredibile, etiam fide humanâ: ergo econtra quod est evidenter credibile fide humanâ, est evidenter verum.

Vlteriùs, si hic argumentandi modus legitimus esset, probari posset, quòd omnis qui videt Deum, cognoscat intuitivè Deum esse malum. sic enim arguam. Hæc est bona consequentia. Cognosco intuitivè hoc objectum esse bonum: ergo illud amo. ergo etiam erit bona hæc: Odi hoc objectum: ergo cognosco intuitivè esse malum.

Adverto vlteriùs, non solùm dari medium inter hæc duo: *Evidenter credibile*: & *Evidenter incredile*. Sed etiam inter hæc duo: *evidenter impossibile*, *evidenter possibile*. vel *evidenter falsum*, *evidenter verum.* Sunt enim infinita objecta, de quibus neutrum verificatur, vt patet. Hoc autem ideo adverto, quia nisi inter hæc duo daretur medium, non sufficeret ad solutionem argumenti, quòd detur medium inter *evidenter incredibile*, & *evidenter credibile*: nempe; *non evidenter incredibile*. Ratio est, quia esse *evidenter credibile*, continet in se à fortiori: *non esse evidenter incredibile*. ergo quidquid possum inferre ex hoc secundo, possum à fortiori inferre ex illo primo: ergò si non daretur medium inter *evidenter verum* & evidenter falsum, tunc sicut ex non evidenter incredibili possem inferre aliquid esse verum, sic etiam ex evidenter credibili possem inferre aliquid esse verum, & sic objectio haberet interitum. Hinc autem patet argumentum plus non probare, quàm quòd id, quod est mihi evidenter credibile, non sit mihi evidenter falsum aut impossibile, sed non probare, quòd mihi sit evidenter verum.

173. Objicies 2. Si Mysteria fidei essent evidenter credibilia, & quidem fide summâ, hoc est, quæ non deceat aliam auctoritatem nisi Dei, tunc essent evidenter credibilia fide divinâ. atqui sic jam essent evidenter vera: ergo ex evidentia credibilitatis Mysteriorum sequitur evidentia ipsorum Mysteriorum. Minor probatur. Quia evidens est, fidem divinam, hoc est, nitam auctoritate Dei asserentis esse veram, quia evidens est, Deum non posse mentiri.

Respondet rectè Card. de Lugo negando sequelam. quomodo enim, inquit, cognoscitur evidenter credibilitas in ordine ad fidem divinam, cùm non sciamus evidenter posse dari fidem divinam & infusam? solùm ergo cognoscimus evidenter, Mysteria illa taliter proponi, vt prudenter possimus conari, quantùm est in nobis, ad credendum firmiter illa & sine vlla hæsitatione, præscindendo ab hoc, vtrum hic assensus eliciendus sit viribus naturæ, an per fidem infusam: hoc enim prorsus ignoramus. Ita Lugo.

Vrge-

Vt tamen adhuc ampliùs his æquivocationibus obviemus : Quæro ex adversarijs, quid intelligant per *Fidem divinam* ? hæc enim potest sumi diversimodè : primò pro assensu qui nitatur auctoritate Dei revelantis , & non aliquâ auctoritate merè creatâ, & sic vocatur fides divina potiùs quàm humana, desumptâ scilicet denominatione ab eo cui creditur , non ab eo qui credit, & hujusmodi fides divina posset etiam existere in statu puræ naturæ, & esse actus naturalis. Porrò hoc sensu non est de conceptu *fidei divinæ* , esse verum , quia potest mihi probabile esse , & ego possum ob reverentiam divinæ auctoritatis assentiri Deum aliquid dixisse, quin revera Deus dixerit : sic multi credunt privatis quibusdam revelationibus , seu indicijs externis, per quæ Deus aliquid censetur voluisse illis indicare, v. g. vocationem ad talem Religionem : sic si parochus proponat rusticis articulum falsum, conantur illi præbere assensum, & præbent, propter apparentem revelationem , quæ ab ipsis prudenter judicatur existere , & per parochum intimari. Loquendo verò de Credibilitate summa , qualem dicimus, & paulò post probabimus ampliùs, competere nostris Mysterijs, licet omninò tenendum sit, quòd tanta credibilitas non possit competere objecto falso, hoc ipsum tamen dicimus non esse evidens, sed ita certum ac firmiter tenendum, vt oppositum sit summè improbabile , nec nisi imprudenter suspicabile.

174. Secundò potest Fides divina accipi pro actu Fidei infusæ & supernaturalis : & tunc non solum non est evidens , dari talem fidem (vt dixit Lugo) sed nec est evidens, posito quòd detur talis actus , eum esse essentialiter verum, nec posse etiam divinitùs esse falsum. Nam licet communiter omnes asserant, actum supernaturalem non posse esse falsum, graves tamen DD. vt Ripalda, Oviedo, & Arriaga, fatentur, nullo efficaci, ne dicam, evidenti argumento id evinci, sed solâ auctoritate.

Tertiò , potest per fidem divinam intelligi fides, prout conformis divinæ revelationi : & tunc quidem evidens est , talem actum esse verum , ejúsque objectum existere , sed negamus, quòd ea quæ sunt evidenter credibilia, sint hoc-ipso evidenter credibilia fide conformi ipsi revelationi.

175. Objicies 3. Si Mysteria fidei possent alicui reddi ita credibilia, vt oppositum nullam haberet probabilitatem, tunc actus fidei non esset liber : sicut enim quando in objecto nulla apparet malitia , necessitamur ad amorem , ita quando in objecto nulla apparet probabilitas in oppositum , necessitamur ad assensum : consequens autem est absurdum.

Ad hoc argumentum respondent aliqui, inter quos est Card. Pallavicinus, distinguendo sequelam. Non esset liber quoad speciem, concedunt, quoad exercitium negant. Sensus est, quòd ille qui penetrat motiva credibilitatis, non possit vllo modo dissentire nostris Mysterijs' negando illa mentaliter , sed tantùm posset ea negare vocaliter : nihilominus tamen, quia ipsa mysteria non sunt evidentia, ideo poterit suspendere assensum , & sic peccare contra obligationem positivè assentiendi.

Hujus responsionis fundamenta rejeci libro secundo , cùm agerem de Opinione probabili. Aliter ergo ℟. Negando simpliciter sequelam. Ad probationem distinguo secundum membrum. Quando nec prudens nec imprudens probabilitas seu ratio suspicandi & judicandi oppositum apparet, & quidem nec positiva , nec negativa , concedo, secùs nego. Itaque omnes fideles dum credunt , semper habent in oppositum aliquas apparentias , quibus possunt sese imprudenter & contra dictamen rationis sinere moveri , vel ad suspendendum assensum , vel ad dissentiendum, vel ad non ita firmiter, vt decet; ad hoc enim sufficere posset sola obscuritas connexionis motivorum credibilitatis cum locutione Dei , vt infrà declarabitur. Ad dissentiendum verò sunt apparentes rationes , quibus Hæretici suos errores palliant.

CONTROVERSIA II.

Quænam sint præcipua Argumenta, convincentia, nostram Religionem dignam esse, quæ omnibus alijs præferatur.

176. Religio nostra venit comparanda cum Paganismo, Judaismo, & Hæresi. Motiva ob quæ alijs omnibus præferenda est, aliqua sunt Generalia, aliqua specialia. Quòd Christianismus sit præferendus Paganismo & Judaismo, sufficienter probabitur ex Generalibus motivis. Quòd verò sit præferenda Catholica Religio Sectis in Christianismo existentibus, etiam specialibus argumentis probari potest. Incipiendo à motivis generalibus, & comparando nostram Religionem cum alia quacunque quæ à nostra damnatur, advertendum est ; Octo potissimùm adduci posse motiva, ob quæ vna Religio meretur alteri præferri, si cætera sint paria, hoc est, secluſis interea punctis controversis, & in quibus illæ sectæ differunt, & vna alteram erroris arguit : cætera quæ in quacunque Religione ipso Naturæ lumine apparent laudabilia, nulli ex Religionibus invicem comparandis desint.

Hinc statim excluditur Idololatria, quæ manifestæ repugnat rationi, & per consequens illud quod in cæteris sectis laudabile est, erit Cultus vnius Dei, in quo conveniunt.

177. Octo, inquam sunt Argumenta, fundantia prudentem electionem vnius Religionis præ alia. Primum est : Numerus Sapientum, qui aliquam Religionem indubitanter profitentur, & qui verè sunt Sapientes, hoc est, qui communi sensu præstant alijs Ingenio, Judicio, & doctrinâ

in alijs scientijs. Secundum est, numerus eorum, qui in eadem Religione fuerunt Honestatis & omnium Virtutum veri amatores & studiosi. Tertium, Numerus eorum, qui solius Veritatis, propriæque salutis amore ducti, fortissimo animo eandem Religionem propugnârunt ad mortem vsque. Quartum, Numerus eorum, qui æternæ felicitatis amore omnia humana contempserunt. Quintum, Numerus eorum, qui ferventissimè Deum per omnem vitam, & omnes quasi actiones suas amârunt, nihil magìs desiderantes, quàm placere illi per omnia, & summè dolentes, si in aliquo se deliquisse deprehenderunt. Sextum, Victoria contra alias Sectas, à quibus persecutiones graves sustinuit. Septimum Numerus Prodigiorum quibus Religio est confirmata. Octavum, Modus propagandi Religionem, sine vi, sine armis, sine blanditijs.

178. Quæcunque ergo Religio deprehenderetur his ornamentis præfulgere, evidenter credibile est, eam præ alijs omnibus placere Deo, & alias omnes, quas ipsa damnat, displicere. Sed Religio nostra talis est. Ergo alijs omnibus præferenda. Major propositio non solùm vera est loquendo de tota collectione (quod nemo nisi stultus negaverit) sed etiam de singulis, consideratis cum præcisione cæterorum. Nam licet necesse non sit, vt vera Religio omnia hæc ornamenta pro omni tempore, & in gradu excellenti habeat (à principio enim nascentis Ecclesiæ non poterat habere) ad providentiam tamen Dei pertinet, non permittere in vllo horum veram religionem à falsa notabilissimè superari, per tot sæcula, quibus inter se pugnant, & vna aliam supprimere conatur: quod quidem non est metaphysicè evidens, sed tamen non nisi imprudenter negabile. Pro nunc satis est, majorem propositionem omnium judicio veram esse, loquendo de tota collectione motivorum, & mihi non minùs certa est, quàm certum est, Deo non esse perinde amari & odio haberi, coli & vituperari. Minor verò propositio non potest meliùs probari quàm ex historijs, quæ reddunt eam moraliter evidentem.

179. Imprimis ergo, quod attinet ad numerum Sapientum, habuerunt quidem Gentes aliquos Sapientissimos, vt Platonem, Aristotelem & similes: verùm isti non tenuerunt in animo Gentilismum, etsi simulaverint: Deinde isti Sapientes non vixerunt tempore Christianismi, nec proinde illi se suâ Sapientiâ opposuerunt. Certè qui tempore Christianismi inter Gentiles nomen Sapientum obtinuerunt, nunquam potuerunt stare gloriosè contra Christianismum, vt patet ex Victoria S. Catharinæ, contra quinquaginta Sapientes, qui adeo se victos agnoverunt à puella, vt id etiam martyrio testarentur: patet item ex Missionibus ad Japones aliásque Barbaras gentes.

Quodsi jam isti comparentur cum illis sapientibus, qui se Christianis adjunxerunt, vix ac ne vix quidem nomen Sapientum merentur. Cum Ecclesia in suo exordio simplicissimis hominibus constaret, adjunxit se illis S. Paulus, S. Dionysius Areopagita. Deinceps verò in secundo sæculo S. Justinus Philosophus & Martyr, Athenagoras, Tatianus, qui scripsit infinita propè volumina, Egesippus, Ireneæus. In Tertio sæculo Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Zeno Episcopus & Martyr, Lactantius. In quarto sæculo Eusebius Cæsariensis, Athanasius, Hilarius, qui in provecta primùm ætate Christianus factus, deinde inter maximos Doctores habitus est, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Gregorius Nissenus, Hieronymus, Chrysostomus. In quinto sæculo S. Augustinus, qui solus sufficeret, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Prosper. Et hæc sunt sæcula illa in quibus etiam Sectarij fatentur fuisse Doctrinam Christianam incorruptam. Jam si illos enumerare vellem, qui sæculis proximè elapsis, dum plures hæreses exortæ sunt, floruerunt, dies priùs quàm nomina, deficeret.

180. Horum virorum elucubrationes si comparaverit cum scriptis eorum, qui Christianismum vel Ecclesiam Romanam impugnârunt, nisi idiota sit, facilè judicabit, non minùs hos illis superari, quàm à Gigantibus Pygmæos. Cum itaque hi tot ac tanti viri, non solùm sapientia sed etiam vitæ innocentiâ clarissimi, allusum præbuerint articulis captu difficillimis, eosque fortiter propugnaverint, audacter dico, esse evidenter dignum creditu, ad divinam providentiam spectâsse, non permittere, vt hoc ornamento gauderet falsa Religio, & vera careret, nisi per aliquid aliud, v. g. miracula compensaretur: atqui nulla alia secta compensavit hunc sapientum excessum, quo Romana Ecclesia fulget: ergo ex hoc capite redditu dignа creditu, quòd omnibus sit præferenda ab ijs qui hoc argumentum rectè penetrant.

181. Quoad secundum argumentum de motivum, evidens quoque est. nullam Religionem nominare posse tot egregios & sinceros virtutum Moralium sectatores, quot potest numerare & probare nostra Religio: & quod benè observandum est, si qui ex alijs sectis fuerant eum virtutum moralium sincerè studiosi, illi potiùs in hoc suæ sectæ contradixerunt, quàm eam ponti si sunt, eò quòd aliæ Sectæ ea teneant dogmata, quæ potiùs à Virtutum amore abducunt: vel denique tales fuerunt, qui ex invincibili ignorantia suam sectam tenuerunt, eò quòd non habuerint occasionem discernendi & dijudicandi inter Religiones; de quibus optimo jure præsumi potest, quòd si nostram Religionem edocti fuissent, ei libentissimè manus dedissent, vtpote in qua plures advertissent sibi similes, & virtutum amatores.

182. Jam verò cùm Deus omnium Virtutum auctor sit, & virtuosum non sit, nisi quod Deo placet, quis prudens potest suspicari tantum judicium

judicare, fieri potuisse vt vera Religio in hoc puncto à falsa vinceretur, & non potiùs ad bonitatem Dei spectet, non permittere, vt qui maximè conantur se ad vltimum suum finem disponere, ab eo maximè aberrent, prout aberrant, qui falsam sectam colunt? Sanè nemo negaverit, ex duabus scholis, si cætera sint paria, illam præferendam esse, in qua plures proficiunt. Cùm ergo Vera Religio debeat esse schola Virtutum, & Magistrum habeat Deum, aliæ verò falsæ Religiones Magistrum habeant Diabolum, omnis virtutis inimicum, est indignum & injuriosum Deo, cogitare, quòd possit scholam suam ita negligenter gubernare, aliam verò non suam ita diligenter & providè, vt plures in aliena, pauciores in propria proficiant, sicque falsa Religio prudenter veræ præferatur, & quidem amore proficiendi in virtute.

183. Quoad Tertium Motivum, constat ex indubitatis historijs, nullam Religionem vnquam fuisse, pro cujus assertione tot millia hominum tam fortiter & alacriter, in quovis sexu, ætate, vitæ conditione sanguinem fuderint: quæ sanè fortitudo multis millibus gentilium caussa fuit, vt ad Christianismum accederent, advertentes, dignissimum esse creditu, tantam fortitudinem & constantiam esse supra vires omnis naturæ, nec etiam à Deo permitti posse, vt tanta sustinerent tormenta pro falsa religione illi, qui Dei timore ducti maluerunt vitam perdere, quàm Deum offendere. cùm enim innumeri eorum essent homines intelligentissimi, vtique non elegissent mori potiùs quàm Religionem mutare, nisi pro suâ Religione cognovissent existere motiva insuperabilia, & inenervabilia: atqui effectus indicativus motivorum inenervabilium evadit etiam ipse motivum inenervabile. Ergo &c.

184. Quoad Quartum Motivum observandum est, ipso Naturæ lumine evidens esse, quòd vehementer laudabile sit, exuere se rebus humanis & terrenis solatijs, vt æternæ saluti consequendæ & promerendæ impensiùs vacare possis. Quapropter non potest non esse eximium argumentum Religionis veræ & Deo gratæ, abundare cætibus hominum, qui vitam pœnitentium profitentur, & mundo renuntiant in eum finem, vt animam salvent. Et hoc quidem illi qui doctrinam Evangelij admittunt non possunt nisi summa cum protervia negare.

Jam verò hujusmodi cætibus præ omnibus alijs abundare Ecclesiam Romanam, sempérque abundâsse, qui negare voluerit, aut in dubium vocare, vel summè impudens est, vel mundum non vidit. Qui verò omnes illos hujusmodi vitam profitentes vellet dicere hypocritas, & homines interiùs malos, ipsum esse pessimum, & alios suo pede metientem necesse est. Incredibile porrò est, tot millionum vocationem ad tale vitæ genus, ab alio esse, quàm ab illo, qui per talem vitam quæritur: ergo pariter incredibile est, illam Religionem esse falsam, in qua hujusmodi vitæ genus commendatur, defenditur, honoratur. Esset sanè Deus omni tyranno sævior, si hos omnes permitteret inculpabiliter falsâ religione decipi, veram autem Religionem hujusmodi ornamento destitui.

185. Ad Quintum Motivum pertinet Numerus eorum, qui vitæ sanctitate in purissimo Dei amore fundatâ floruerunt, quam quidem sanctitatem Deus innumeris & manifestis miraculis, vt sanatione morborum incurabilium, resuscitatione mortuorum &c. ante & post mortem contestatus est, sicut & prædictione eventuum nullis naturæ viribus cognoscibilium, revelatione arcanorum cordium, quæ nemini præterquam Deo patere poterant.

Porrò tametsi donum prophetiæ & miraculorum sit & dicatur donum gratis datum, quod etiam peccatori concedi possit, certissimum tamen est, hæc dona per se loquendo non solere nisi illis concedi, qui Deo sunt affectu conjunctissimi: neque enim in hoc cæcus fuit ille Evangelicus à nativitate cæcus, qui dixit, quòd Deus in miraculis patrandis peccatores non audiat, sed qui faciunt voluntatem ejus.

Quantus autem sit numerus horum qui nostram Religionem profitentur, & quàm nullus numerus appareat in alijs sectis, res est illis clarissima, qui inter Catholicos notabili tempore conversati sunt, & historias fide dignissimas legerunt vel audierunt. Jam verò quid posset imprudentius dici aut cogitari, quàm quòd Deus falsam, sibique invisam Religionem his hominibus & donis exornet præ vera Religione? homines adeo Numinis amantes dono fidei ad salutem necessario privet, & donis non necessarijs afficiat?

186. Quoad Sextum Motivum observandum est primò ex Historia Ecclesiastica, quòd Religio nostra statim ab exordio suo vsque modo, infinitis propè modis oppugnata fuerit, non armis & persecutionibus duntaxat, sed etiam doctrinâ contradicente, ita vt vix vllus articulus immunis ab impugnatione evaserit: nunquam tamen ita convinci potuit Religio Catholica, vt vllum articulum mutaret, adeoque nunquam fuit ita convicta, vt se fallibilem esse fateri cogeretur, quin immò omnes adversarios suos tandem ita debellavit, vt planè supprimerentur, vel ad minimùm aliquos articulos mutarent, adeoque reipsâ se fallibiles agnoscerent. Est autem penitus incredibile, à Deo permitti posse, vt vera Religio ita succumbat falsæ, vt à possessione Infallibilitatis vera dejiceretur, non autem falsa.

187. Observandum est secundò. Nullam sectam unquam exstitisse, quæ ex instituto & officio suo omnibus & singulis alijs sectis se opposuerit doctrinâ, & nunquam quietas subsistere passa sit, sicut fecit nostra Religio; qui Zelus est vtique summè laudabilis, & si suscipiatur pro verâ Religione, non potest non placere Deo. Est autem incredibile, Deum permittere potuisse, vt falsa Religio hunc Zelum constanter exerceret, non

non item vera Religio : ergo evidenter credibile est, nostram Religionem esse veram, & omnibus alijs præferendam.

188. Quoad Septimum motivum observandum imprimis est, nullum esse efficacius motivum exterius & sensibile, ad aliquam veritatem persuadendam, quàm miracula : hoc imprimis patet ex eo, quòd quivis nostrum, si ad aliquid credendum deberet à Deo petere sensibilem aliquam testificationem, maximè peteret Miraculum, cujus rei plurima exempla exstant in S. Scriptura : deinde idipsum constat ex effectu & eventu : nam propter miracula, & quidem aliquando propter vnicum, multa hominum millia conversa sunt, vt in die Pentecostes &c. Ratio autem est, quia cùm Miracula superent vires naturæ, non possunt fieri nisi à Deo, qui falsum testificari non potest.

Observandum est Tertiò, quòd licet Dæmon possit suis præstigijs imitari velle Miracula, non posse tamen prudenter cogitari, ea Miracula quæ defacto fiunt in confirmationem nostræ Religionis, fieri à Dæmone, & hoc quidem duas ob caussas : prima est, quia ad Deum pertineret, non permittere ea fieri à dæmone pro falsa Religione, si ipse nollet facere miracula pro vera Religione, juxta dictum Christi : *si non fecissem signa, quæ nemo alius fecit, peccatum* Infidelitatis *non haberent.* Et qui credebant in JESUM, hoc pro motivo reddiderunt. *Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Jo. 7. v. 31. Secunda caussa est, quia dæmon per hæc Miracula nihil lucraretur; sed eandem jacturam faceret, quàm faceret, si à Deo patrarentur. Nemo enim credens ejusmodi miraculis imprudenter agit credendo : alioquin nec Deus posset miraculis obligare ad credendum : ergo etiamsi fingamus omnia falsa esse, quæ videmus miraculis confirmari : esset adhuc idem meritum & eadem laus credentium, nec posset Deo hæc fides displicere.

189. Jam verò nulla Religio pro se allegat tam multa, gravia & fide digna Miracula, non solùm in privato aliquo loco facta; sed integris Regnis notoria, accuratissimè examinata, non solùm transeuntia, sed etiam stabilia, qualia pro se affert Religio nostra, quæ adversarij non aliter eludunt, quàm Judæi miracula Christi, adscribendo ea Principi dæmoniorum. Est autem hoc motivum ejusmodi, vt Gentiles illis maximè moveantur, vtpote quorum plurimi ex ignorantia vixerunt in errore suo; econtra verò illos, quos maximè movere deberent, non ita frequenter movent, nempe Sectarios, qui Evangelium admittunt, & in quo Christus disertis verbis Ecclesiæ suæ promittit Virtutem miraculorum. *Signa autem*, inquit, *eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo &c.* Marci 8. v. 11. & alibi passim. Si ergo Miracula sunt signum, & quidem certò secuturum veræ Religionis, sequitur, quòd vbi deest hoc signum, ibi non sit vera Religio, & econtra, vbi est vera Religio, ista signa inveniantur, & vbi sunt hæc signa, ibi sit vera Religio. Tentent ergo adversarij ostendere in sua Religione credibiliora signa fieri, quàm in nostra, quod nec attentant quidem. Placet adjicere verba S. Augustini *Tr.* 24. *in Jo. Interrogemus*, inquit, *illa Miracula, quid nobis loquantur de Christo, habent enim, si intelligantur linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est.*

190. Octavum denique motivum, si ponderetur, est sanè potentissimum. Religio Christiana originem habuit ab homine crucifixo, & à discipulis illius, hominibus ex se simplicibus, ignobilibus, & penitùs illiteratis, per hos propagata est contranitentibus Regibus & Imperatoribus ad eam amplitudinem quam cernimus, immò quam propter nimiam amplitudinem cernere non possumus, vtpote toto terrarum orbe diffusam. Et quidem propagata est sine armis, sine beneditijs, non obstante doctrinâ sensibus adeo repugnante persuasa est viris sapientissimis. Hæc autem propagatio Religionis, talem originem habentis, talibus habentis, fieri non potuit sine Miraculis fulgentis & frequentissimis : esset enim, vt sapienter advertit S. Thomas, omnium excogitabilium miraculorum miraculum maximum, si hæc conversio sine miraculo facta esset.

Porrò hæc non possunt dici fuisse miracula falsa, præstigijs dæmonum facta, tum ob rationes paulò antè allatas, tam etiam ex eo capite, quia moraliter impossibile fuisset, vt nullus ex omnibus illis, qui hæc miracula patrârunt, & nihilominus ad tormenta tracti, atque extremis cruciatibus affecti & sollicitati sunt ad abjurandam Religionem quam defendebant, vt, inquam nullus illorum fraudem aperuisset, cuius vtique conscij fuissent. si enim non fuerunt conscij fraudis & opis dæmoniacæ, non potuisset Deus permittere, vt ita à dæmone illuderentur, aliósque populos deciperent.

In hac ergo mirabilissima propagatione nostræ Religionis, per ipsas persecutiones semper crescentis, quam nemo ignorat, qui inter Christianos vivit, relucent planè tanquam in effectu infallibili omnia prodigia, quæ ante hac patrata sunt, vt proinde (quod benè notandum est) sapientibus non sit opus miracula nunc fieri, quia vident ea durare in effectu manifesto, perinde acsi perpetuò patrarentur. In illis autem Regnis, ad quæ Christiani nominis annuntiatio recenter pervenit, Deus hodiéque non desinit facere Miracula ad illorum populorum conversionem sufficientia, donec etiam ibi fides propagetur eousque, vt novis Miraculis non sit opus.

Præter Motiva hucusque exposita, quæ possunt generaliter contra omnes sectas vsurpari, supersunt Quatuor speciales Notæ contra nostros Sectarios, ex fundamentis communibus, quæ comprehenduntur in Symbolo Nicæno, jubente no-

nos credere in *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Has notas fusissimè illustratas videre licet apud Controversistas.

CONTROVERSIA III.

Virum in Rusticis, pueris, alijsque simplicibus, Motivum Credibilitatis consistat in aliquo Discerniculo supernaturali, supplente defectum Motivorum recensitorum.

§. I.

Refertur Sententia affirmans.

191. RAtio dubitandi est; quia Rustici non penetrant Motiva Credibilitatis hactenus relata, nisi quòd audiant à suis parochis, ea dari. Porrò quando Parochus illis proponit articulos definitos in Concilijs, Rustici non habent vllum modum naturalem investigandi, an Parochus loquatur conformiter Decretis Conciliorum, qui enim esset idoneus ad hoc investigandum, jam non veniret nomine simplicium, sed inter sagaciores numerandus esset, neque talis teneretur credere parocho præcisè, sed teneretur inquirere in motiva vniversaliora, qualia præcedente Controversiâ recensuimus, & quæ sunt inenervabilia. Cùm ergo rusticus scire possit, parochi auctoritatem non esse infallibilem, sed esse hominem qui falli & fallere possit, dubitatur an rusticus nihilominus in casu quo parochus defacto verum dicit, & rusticus tenetur credere, possit elicere, & defactò eliciat actum fidei infusæ & supernaturalem, cujus motivum credibilitatis aliud non sit, quàm auctoritas Parochi seu Pastoris sui, constituti ad hoc, vt tanquam Minister Dei & Ecclesiæ nomine suis ovibus proponat articulos credendos: vel an præter hanc auctoritatem, vtpote fallibilem, debeat intervenire aliquod supernaturale DISCERNICVLVM, in casu quo parochus verum dicit, quod non interveniat in casu quo idem parochus falsum dicit, & sic Rusticus possit discernere propositionem veram à propositione falsa, eò quòd hoc Discerniculum habeat prorsus eandem credibilitatem infallibilitatis & inenervabilitatis, quam habent omnia motiva superiùs ponderata.

192. Sententiæ affirmantis auctor fuit, vt intelligo, P. Antonius Perez, si loquamur de hoc Discerniculo in genere, & præscindamus à diversis modis illud explicandi, quem secuti sunt Card. Pallavicinus *c. 4. à n. 64.* & P. Esparza *q. 22.* Ita tamen, vt tandem in ejus vltima declaratione nullus cum altero conveniret, sed secundus primi, & tertius secundi reprobaret, & novum sibi persuaderet.

193. Primus itaque, P. Antonius Perez, suum Discerniculum ita construxit. Primò supposuit, esse penitus impossibile naturaliter, quòd in rebus obscuris intellectus non dubitet. Secundò dixit, esse verum Miraculum, quòd credens res obscuras, credat sine dubitatione. Tertiò dixit, proposito articulo vero simul cum falso, rudem illum hominem experiri illicò in se, quòd circa vnum, nempe circa verum, possit non dubitare, circa falsum econtra experiri se non posse non dubitare. Quartò dixit, rusticum reperire & videre in conscientia sua obligationem credendi sine dubitatione articulum verum, v. g. Incarnationem Verbi, & simul, se non obligari ad credendum articulum falsum, v. g. Incarnationem Spiritûs Sancti, absque dubitatione, quia nullus obligatur ad impossibile. In hujus ergo interni Miraculi experientia constituit Perez suum Discerniculum.

194. Cardinalis Pallavicinus rejecto Discerniculo P. Antonij Perez, sub nomine Ingeniosorum quorundam Recentiorum, aliud Discerniculum invenit. Dixit ergo hoc Discerniculum consistere in quadam apprehensione singulari & suprahumana, de qua dici possit: *Nec vox hominem sonat.* Hanc Pallavicini doctrinam aliqui deinde Recentiores magis declarârunt, & dixerunt, quòd Rusticorum discerniculum consistat in Illuminatione quadam interna, quæ de seipsa dicat: *Ego sum vox Dei, inimitabilis à natura, & certifico te* (hoc est rusticum) *quòd Parochus nunc verum dicat.* hæc illuminatio reflexè cognita habet eandem vim caussandi Judicium credibilitatis, quam habent omnia motiva relata præcedente Controversiâ. Itaque per hanc illuminationem reflexè cognitam, determinatur intellectus Rustici ad formandum judicium evidens credibilitatis, quo judicat: *Dignum est credere, hanc illuminationem esse locutionem Dei certificantem de locutione parochi circa hunc articulum v. g. Incarnationis Verbi.* & sic illa interna Illuminatio habet rationem motivi credibilitatis, vt possit elici & imperari actus fidei, qui dicat. *Hæc est locutio Dei, & non potest non esse locutio Dei.* Hæc est Interpretatio Pallavicini, adhibita à quibusdam ingeniosis Recentioribus, Collegis meis observandissimis, qui sub hujus Cardinalis vmbra Discerniculum propugnârunt, illúdque pluribus illustrârunt, ac subtilibus argumentis, multùm vltrà quàm ejus Inventores, excoluerunt, ac plausibile fecerunt.

195. P. Martinus Esparza rejecto Discerniculo Cardinalis Pallavicini & Perezij, suum Discerniculum ponit extra credentem, in ipso Parocho, *& articulo* 13. sic exponit. Revocandum est, inquit, in memoriam, auctorem sufficientem propositionis credendorum, non solùm debere esse missum à Deo mediatè vel immediatè, sed etiam loqui debere tanquam missum à Deo: adjungendum deinde est, locutionem & propositionem credendorum propriam Ministri missi à Deo, vt ab eo missi, esse supernaturalem extrinsecè quoad modum, quatenus oritur à fide supernaturali doctrinæ divinitus revelatæ, acceptatæ & approbatæ

ab Ecclesia. Denique conferenda est locutio ista & propositio extrinsecè & quoad modum Supernaturalis, cum simili quoad entitatem locutione purè naturali etiam extrinsecè & quoad modum. Locutio purè naturalis gignit in audiente naturaliter bene disposito cognitionem conceptûs naturalis, cui substituitur eadem locutio, quia est signum rerum vt substantium conceptui loquentis. Similiter ergo locutio extrinsecè & quoad modum supernaturalis, quia substituitur conceptui supernaturali loquentis, connexo essentialiter cum revelatione divina & approbatione Ecclesiæ, gignere potest in audiente bene supernaturaliter disposito (cujusmodi dispositio habetur per lumen fidei, & infusionem Spiritûs Sancti) cognitionem conceptûs ejus supernaturalis, qui est forma extrinseca, distinguens Veram Dei locutionem externam à falsa. Adest ergo semper Discerniculum Veræ Dei locutionis à falsa, & propositionis sufficientis ab insufficiente, imperceptibile quidem naturaliter, vtpote proprium idiomatis supernaturalis & elevati extrinsecè, perceptibile verò per supernaturalem illustrationem & instinctum Spiritûs Sancti, quæ tamen ipsa Illuminatio & instinctus, nihil præstare posset in homine operante humano modo, si non præiret locutio & instructio exterior, informans phantasiam, & dependenter ab illa pertrahens intellectum ad inspectionem NB. conceptionis interioris, præexistentis reipsâ in loquente. Ita P. Martinus Esparza. Exhibeo insuper aliam clariorem hujus doctrinæ expositionem, quam concinnavit miræ claritatis Hispanus, & dictavit ex eâdem Cathedra Theologica, non vt sequeretur, sed vt acriter impugnaret. Dicunt ergo, inquit, hominem idiotam & rudem, cui à parocho proponitur articulus verus, & articulus falsus, v. g. Incarnatio Verbi & Incarnatio Spiritûs Sancti, pertingere cognitione suâ ad intimas vsque Instructoris sui cogitationes, & inter eas discernere, qualis sit cognitio supernaturalis & qualis naturalis; quod quia videtur mirabile, sic explicant, aut se explicare posse præsumunt; dicunt igitur quòd instructor loquitur vt missus à Deo, juxta illud: quomodo audient sine prædicante? quomodo prædicabunt, nisi mittantur? qui autem loquitur vt missus, loquitur nomine alterius, scilicet mittentis: & qui loquitur nomine alterius, loquitur ea, quæ ab illo accepit dicenda: ergo si Instructor ille loquitur nomine Dei, loquitur quæ à Deo accepit dicenda: atqui articulum falsum de Incarnato Spiritu S. non accepit à Deo dicendum, accepit tamen à Deo dicendum articulum verum de Incarnato Verbo: ergo cùm proponit articulum falsum, non loquitur nomine Dei, neque vt missus à Deo, loquitur autem nomine Dei & vt à Deo missus tunc solùm, cùm proponit articulos veros: quodsi interroges, vndenam cognoscat rudis ille homo, quòd parochus suus, proponens Incarnationem Verbi, loquatur vt missus, & idem proponens Incarnationem Spiritûs S. loquatur ex proprio cerebro. Respondent, quòd sicut locutio naturalis gignit in audiente bene naturaliter disposito notitiam conceptûs naturalis, cui substituitur locutio externa, ita etiam locutio supernaturalis gignit in audiente bene disposito supernaturaliter notitiam conceptûs supernaturalis, cui substituitur locutio externa prædicationis, est tamen hæc externa locutio supernaturalis extrinsecè, propter supernaturalitatem conceptûs cui substituitur. Habet enim parochus supernaturalem fidem de Verbo Incarnato, & eò vsque pertingit cognitio rustici per instinctum Spiritûs Sancti.

§. II.

Rejicitur Discerniculum P. Antonij Perez.

196. CArdinalis Pallavicinus contra hoc discerniculum num. 3. relatum argumentatur primò & benè. Hæc sententia dat ansam prædicatoribus Hæreticis confirmandi Sectarios in sua pertinacia. Cùm enim illi dicant, se credere super omnia, & quidem dicant ex animo, quandoquidem idem testantur, & narrant postquam sunt ad fidem conversi, poterunt prædicatores impij ita eos confirmare. *Potestis credere super omnia. ergo habetis veram fidem.*

197. Hæc argumentatio est optima, quatenus ex absurdo quod sequeretur, infert impugnantiam illius Discerniculi. Verùm ipso sole meridiano clarius est, hoc argumentum totidem verbis, nullo mutato, procedere contra discerniculum Pallavicini. Nam in hujus sententia etiam repugnat aliquid credi super omnia & non per veram fidem, & hoc provenit ab hujus auctore Discerniculo, vt tradit in terminis loco citato, atqui sectarij ex animo dicunt, se omnia quæ credunt, credere super omnia: ergo poterunt in sua pertinacia confirmari à prædicatoribus. *Potestis credere super omnia: (nam ita defactio credunt) ab actu autem ad potentiam valet consequentia; ergo habetis veram fidem. quia nihil potest credi super omnia nisi per fidem veram, habentem nimirum tamen locutionem divinam, quæ mereatur credi super omnia.* Major, & Minor & Consequentia est Pallavicini, quod nemo qui ipsum legit, negaverit. Ecce sit prima impugnatio Pallavicini, quam quidem Moderni eum secuti non ignorârunt, sed dissimulârunt.

198. Argumentatur Card. Pallav. secundò. Vel hæc experientia est patens, & discerniculum (quippeni? cùm sit Discerniculum?) vel est ambigua & indiscernibilis: si primum, ergo dicunt Miraculum perpetuum, commune & manifestum, experimur enim NB. in actibus fidei modum illum credendi, quem nemo vnquam experitur circa vllum objectum naturale (subintelligo ad hominem, in sententia Antonij Perez, absolutè enim falsum esse patet tum ex dictis supra, tum ex dicendis infrà) Ex quo sequeretur valdè immanui, NB. meritum fidei nostræ, & posse nos discernere

cernere articulos veros à falsis: in illis enim, & non in istis hanc potentiam experimur. Si secundum: ergo hæc experientia non præstat evidentiam credibilitatis, quippe quæ debet esse pura ab omni ambiguitate, sicut est semper vltimum judicium credibilitatis.

199. Hoc argumentum intorquetur iterum in Pallavicini discerniculum hoc modo. Vel Illuminatio tua, quæ de seipsa formaliter & reflexè dicit: (vt explicant, qui Pallavicinum in hoc discerniculo secuti sunt (*Ego sum vox Dei per naturam, inimitabilis à natura certificans te de vera propositione parochi*) vel, inquam, dicit hoc evidenter, vel ambiguè. Si primum: dabitur miraculum commune & manifestum, perpetuum, saltem in rusticis, & valde imminuetur meritum fidei, immò omnino tolletur, quia dabitur evidentia in attestante. Si secundum; non poterit fundare judicium evidens credibilitatis, sicut per te sola auctoritas parochi non potest fundare, quia est ambigua & fallibilis. Respondebis: Illuminationem hoc non dicere per modum Judicij, sed per modum *Apprehensionis* suasivæ. Verùm, si hæc responsio sufficiens esset, eâdem vti posset Antonius Perez. Cæterùm hanc apprehensionem suasivam esse chymæricam, infrà ostendam.

200. Argumentatur Card. Pallavicinus 3. Potentia excercendi aliquem actum, non cadit sub evidentem experientiam, antequam ille actus exerceatur: ergo non potest credibilitas consistere in tali experientia. Probatur antecedens. Habità experientiâ potentiæ ad actum, non est possibile Deum negare suum concursum ad ipsum actum: atqui Deus potest negare suum concursum, quia talis concursus est novum beneficium saltem generale: ergo antequam velimus credere, non experimur potentiam supernaturalem credendi. In hoc argumento supponit Pallavicinus aliqua quæ mihi quidem vera videntur, sed claudi possent, quare non immoror. Posset tamen argumentum in Pallavicinum retorqueri. Si enim experientia potentiæ infert Deo necessitatem concurrendi ad illum ipsum actum, nempe volitionem credendi cujus potentiam experimur, non minùs inferet Deo necessitatem concurrendi ad Volitionem credendi, quando pro priori signo rusticus in se deprehendit illam vocem Dei, jam suprà explicatam: est enim impossibile, quòd Deus alicui intùs miraculosè loquatur & clamet: *Ego sum Vox Dei*, quin hoc ipso velit concurrere ad voluntatem credendi: ergo vel concursus ad volitionem credendi non est novum beneficium distinctum à beneficio talis locutionis, vel si hoc est absurdum, hoc ipsum absurdum incurrit Pallavicinus.

201. Argumentatur 4. Sicut ex aliquo errore possumus existimare verum id, quod est falsum; & probabile quod est improbabile, ita possumus existimare necessarium & infallibile id quod est fallibile, ac proinde credere super omnia id quod non meretur hujusmodi assensum. ergo experientia potentiæ ad credendum aliquid super omnia, hoc est, quòd non possit se aliter habere, non est infallibile argumentum, quòd actus illius potentiæ sit actus supernaturalis. Subjungit deinde Pallavicinus doctrinam notatu dignam: nempe quòd etiam per inculpabilem errorem contingere possit, vt aliquid appareat esse locutio Dei & dignum creditu super omnia, hoc est, quòd non possit non esse locutio Dei, & tamen revera non sit locutio Dei: quo casu dabitur voluntas supernaturalis & meritoria credendi, & tamen ipsa fides subsequens non erit supernaturalis, quia erit actus falsus. Hæc doctrina quæ est mihi verissima, deserta est ab ijsdem Recentioribus, cæteroquin sequacibus Discerniculi Pallavicini, qui docent non posse vnquam permitti à Deo, vt detur apparentia digna creditu esse locutio Dei, quin reverà Deus loquatur. Vlteriùs, ex tradita doctrina Pallavicini manifestè deducitur, omnem actum fidei etiam supernaturalem esse absolutè conjungibilem cum formidine saltem imprudente; nam dum judico, rem non posse se aliter habere, possum adjicere hanc conditionalem: nisi fortè per errorem inculpabilem vel culpabilem fiat, vt hæc apparentia fallat: ergo absolutè possum formidare an non talis error intervenerit, saltem imprudenter, vt explicabitur infrà. Hinc ergo confirmabitur doctrina quam inferiùs tradam, nempe de conceptu omnis actûs obscuri, etiam actûs fidei supernaturalis esse, quòd sit conjungibilis cum formidine reflexa de hoc ipso prædicato: *non posse se aliter habere.*

Retuli hactenus argumenta Card. Pallavicini contra discerniculum P. Perez. Referam nunc argumenta Hispani illius, cujus jam semel iterumque mentionem feci, quæ quidem impressa non sunt, sed tamen sunt relatu digna, quia continent sensum communem omnium fidelium.

202. Primum argumentum. Cùm totus dicendi modus fundetur in experientia illius miraculi, quòd non possit credens dubitare, omnes omninò negabunt hanc experientiam (omnes vtique nullo affectu præoccupati, nam aliquos illam affirmare patet in persona quorundam sequacium P. Antonij Perez) in se: nullus omnium fidelium (secluso speciali gratiæ divinæ privilegio) experitur in se hanc impossibilitatem miraculosam dubitandi & formidandi. Immò. NB. si experientiâ standum est, potiùs experitur vnusquisque, quòd quando vult, dubitat & formidat, saltem quòd tanta est promptitudo intellectûs ad dubitandum, vt si ipse velit, dubitaturus sit; ideo monemur & jubemur legibus divinis maximam adhibere curam ad cohibendos insurgentes dubitationis motus contra rationes fidei. Et certè oleum & operam perdunt hi Authores, cùm nobis persuadere volunt, & nos experiri, quod nullus nostrum sentit se experiri, & quòd nullus experiatur, quod nos sentimus nos experiri. Et hoc est primum argumentum contra P. Perez. circa quod

Observo iterum, ab hoc Auctore clarè supponi, quòd actus fidei possit stare cum actuali formidine: nam P. Perez non docuit, quòd dum credimus, non possimus dubitare in sensu diviso, hoc enim esset tollere libertatem fidei: sed quòd non possimus dubitare in sensu composito; oppositum autem supponit auctor relati argumenti, tanquam conforme omnium experientiæ: vnde patet, nobiscum sentire hunc auctorem, quòd omnis assensus obscurus & liber, possit conjungi cum formidine, prout infrà trademus.

203. Secundum argumentum. Ex hac doctrina Perezij infertur, quòd hæreticus qui convertitur ad fidem Catholicam, per certam experientiam videret diversitatem sui assensûs nunc veri & supernaturalis ab eo falso & erroneo quem deposuit. Visâ autem hac experientiâ, & per experientiam hoc miraculo, nescio quomodo non videret clarè veritatem nostræ fidei, & falsitatem errroris quem deposuit. Existimat ergo hic Recentior, quòd in sententia Perezij fides esset evidens in attestante, quia esset credenti evidens Deum ipsi loqui per hoc miraculum, quòd experiatur evidentiâ metaphysicâ, se non posse dubitare circa objectum obscurum. Solùm respondere posset P. Perez, non esse credenti evidens, quòd à solo Deo possit hoc impedimentum dubitationis provenire. Cæterùm ad minimùm est physicè evidens, vim dubitandi non posse ab vlla caussâ secunda ne quidem à Dæmone impediri, sed à solo Deo subtrahente suum concursum.

204. Tertium argumentum. Non solùm est falsum, quòd dum credimus experiamur nos non posse dubitare, sed etiam econtrario alterum Perezij assumptum est falsum, quòd nullus in rebus obscuris, atque propositis per motivum fallibile possit credere absque formidine, & quòd sit verum miraculum credere rem obscuram absque formidine, & quòd requiratur per se virtus operans contra naturam, ideoque virtus omni naturâ superior ad credendum absque formidine rem obscuram. Hoc enim imprimis supponitur omninò voluntariè. 2. est contra omnem experientiam. 3. est contra S. Thomam in quodlib. 6. q. 4. in C. (vbi S. Thomas ad longum deducit, quòd Certitudo adhæsionis non sit propria Virtutis fidei, & dicit, quòd non minùs firmiter adhæreat hæreticus articulis falsis quàm Catholicus veris) 4. est contra Aristotelem 7. Eth. citatum à S. Thoma, quòd dicat, aliquem æquali firmitate adhærere falsitati & veritati. 5. est contra S. Augustinum lib. de vtilitate credendi c. 12. vbi hæc habet elegantissima. *Quæro*, inquit, *Si, quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosdem mutuâ dilectione diligant, quos parentes suos esse non credunt? non enim sciri vllo pacto potest, sed interpositâ matris auctoritate de patre creditur, de ipsa verò matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui filius potest furari, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? credimus tamen NB. & sine vlla dubitatione credimus, quod scire non possumus fitemur.* Hæc S. Augustinus. Vnde deduco, S. Augustinum, sicut & S. Thomam, firmitatem fidei non in alio collocâsse, quàm in voluntaria exclusione dubitationis conjungibilis cum vera fide, & non in modo tendendi ipsius actûs fidei, in quo collocant moderni assertores Discerniculi, adeoque firmitatem & certitudinem fidei esse denominationem extrinsecam ab imperio voluntatis, excludente voluntariam formidinem.

205. Quartum argumentum. Quia licet illud principium verum esset, evidens tamen non esset. ergo veritas illa, quæ depender ab illo principio, & probatur per istud principium, non potest esse evidens: atqui illud Discerniculum fundatur in ista veritate (quam probavimus esse falsitatem) ergo illud Discerniculum quod fingitur inter verum & falsum articulum, non potest esse evidens & absque formidine cognitum, & vt adversarij supponunt, principium obscurum non potest terminare assensum absque formidine. Omitto duo alia argumenta ejusdem Auct. quorum vnum consistit in sola incredibilitate sententiæ Perezianæ, alterum coincidit fere cum argumento Pallavicini, sicut & alia quædam, & ideo brevitatis caussâ non refero, nam cui hæc non sufficiunt, nec illa sufficerent.

§. III.

Discerniculum Card. Pallavicini rejicitur.

206. Discerniculum hoc internum credenti impugnavit P. Esparza duobus argumentis. Primum est. Si daretur hujusmodi discerniculum internum sine externo, sequeretur sufficere pro instructione fidelium, & pro conversione infidelium Verbum Dei scriptum, nec esse necessarios prædicatores Verbi Dei, certè nullum esset discrimen Ministrorum idoneorum ab inidoneis, & superfluere exteriorem fidei regulam infallibilem. Si enim solus interior instinctus sufficit ad dignoscendam veram Dei revelationem à falsa, & legitimam ejus propositionem ab illegitima, nullo ex parte rerum ipsarum existente discernine, omnia exteriora sunt inutilia & supervacanea.

207. Respondent ad hoc argumentum quidam Recentiores, & quidem ad primum dicunt, nihil esse absurdi, in particulari casu aliquem ex Verbo Dei scripto, accedente tali instinctu interno credere. Sed contra. P. Esparza non vrget casum extraordinarium & particularem, sed ordinarium & quotidianum, ac frequentissimum, nempe de fide simplicium, qui plures sunt quàm docti penetrantes motiva vniversalia totius Ecclesiæ; plures inquam sunt, qui nesciunt legere S. Scripturam, & Conciliorum Canones, quibus tamen, ne decipiantur suâ simplicitate, proba-

prohibetur lectio Scripturarum, & jubentur credere parocho. Sed quare hæc lectio prohiberetur, si, dum legunt, habent illuminationem, quæ illos certificat de sensu Verborum? an Scriptura est magis fallax quàm parochus? vt ipsa prohibeatur, & non prohibeatur auditio parochi? Ad secundum & tertium Respondent, hanc illuminationem non infundi nisi præcedente prædicatione per idoneos ministros factâ, hoc est, per tales, qui loquuntur per notitiam derivatam à prima revelatione: cùm enim hæc illuminatio testificetur hanc esse loquelam Dei à prima propagatam, non potest à Deo per hanc inspirationem loquente infundi, nisi reverà propositio sit derivata. Sed contra 1. Si hæc est bona descriptio Ministri idonei, ad cujus prædicationem dependenter à revelatione præterita Deus infundit hujusmodi illuminationem, verissimum est quod dicit Esparza, nullum fore discrimen faciendum inter Ministros, vtrum sint docti, an indocti, constituti ad prædicandum vel non constituti, Catholici an Hæretici, nam & isti loquuntur multos articulos dependenter à revelatione præterita. cur ergo tam severè prohibentur simplices accedere conciones hæreticorum, cùm etiam ipsis loquentibus verum articulum, possint sperare illuminationem, loquentibus verò falsum, non sit periculum talis illuminationis: dicent ergo: ego accedam securè & sinè periculo seductionis, sicut securè accederet ille, qui secum haberet virum sanctissimum & doctissimum ac fidelissimum, qui semper moneret, parochum jam verum, jam falsum dicere: nunquid Deus est sanctissimus, doctissimus, fidelissimus? iste me monebit quando parochus verum dicet, quando verò falsum dicet, tacebit, hoc est, non loquetur mihi per illuminationem, & tunc ego non credam. Nihil ergo valet hæc responsio. Contra 2. Si hæc responsio bona esset, sequeretur, quòd possent auditores obligari ad credendum firmissimè articulum verum, quem parochus narraret in hunc finem vt rejiceret, v. g. si Nestorianus hæreticus sic prædicaret: Ego quidem scio, in Ecclesia Romana credi, quòd Verbum sit propriè incarnatum, & fundant se in illo Jo. 1. *Verbum caro factum est.* sed falluntur. Nam illa verba intelligenda sunt de Vnione duarum Personarum per affectum. Ecce! iste parochus narraret verum articulum dependenter à revelatione præterita, ad ipsum derivata. ergo secundùm horum RR. descriptionem loquitur vt minister idoneus: ergo infundetur illuminatio: ergo dabitur obligatio credendi Verbum esse propriè incarnatum. cur non? an quia parochus non affirmat, sed negat? cave, ne hoc dicas, sic enim auctoritas parochi esset motivum formale immediatum partiale, quod tu negas.

Ad 4. respondent: etiamsi huic homini, dum durat interior instinctus, non sit necessaria regula externa infallibilis pro tunc, quando habet illuminationem rusticus, vt illuminationem suam ipse sibi probet, est tamen necessaria tot Ecclesiæ, ne quilibet suum instinctum pro vera revelatione vendat. Sed contra. Quando dicis: *ne quilibet suum instinctum pro vera revelatione vendat:* vel vis dicere: quòd non liceat quidem cuilibet suum instinctum pro revelatione vendere, liceat tamen aliquibus: vel vis dicere: quòd nulli liceat illum vendere. si dicas primum: dic mihi quæso, quibusnam sit data licentia vendendi, & quibus non? an illis qui illum habuerunt? sed, quomodo cognoscet Judex Ecclesiasticus hunc habuisse, illum non habuisse, vt permittat illum vendere suum instinctum, non item hunc? nunquid & Judex habebit hujusmodi illuminationem Reflexam? si verò dicas, nulli licere eum vendere pro vera revelatione, & ideo esse necessariam Regulam externam, verissimum dicis; sed infero: ergo hæc necessitas adhibendi Regulam externam adstringit rusticum, vt suam illuminationem solùm sub hac conditione habeat pro locutione Dei, si ea fuerit conformis Regulæ externæ: ergo quamdiu hanc non cognoscit, tamdiu non potest absoluto judicio credere esse locutionem Dei. ergo ejus assensus est conjungibilis cum formidine, ne fortè Ecclesia reprobet locutionem illam internam. Non est ita, inquiunt isti RR. nam rusticus dum credit suæ illuminationi, virtualiter dicit: Quamvis certus & certissimus sim, quòd Ecclesia non possit contradicere huic meæ internæ locutioni divinæ, si tamen per impossibile contradiceret, ego me subjicerem Judicio Ecclesiæ potiùs, quàm vt crederem meæ locutioni. Itane verò? hoc ne rusticus dicit virtualiter? Quomodo ergo verum est, quod isti RR. tam contentiosè defendunt, quòd locutio interna rustici ne tantillo quidem sit minoris certitudinis & infallibilitatis, quàm est auctoritas Ecclesiæ? si enim sunt omnimodæ æqualis infallibilitatis, & merentur æqualissimæ firmitatis assensum, & quidem firmitatis absolutæ, vt isti loquuntur, cur quæso vult rusticus in concursu contradictorio adhærere potiùs auctoritati Ecclesiæ, quàm immediatæ locutioni Dei? Deinde, quàm laudabilis est hæc observantia & obedientia, quam rusticus exhibet Ecclesiæ, dicendo: *cùm certus sim, quòd Ecclesia non possit contradicere meæ illuminationi, ideo meam illuminationem illius judicio subjicio.* perinde acsi religiosus aliquis obedientiam promitteret, quia antecedenter certus est, quòd Superior nihil posset velle, nisi quod ipsi maximè placuerit. Quin immò in hac adversariorum sententia potiùs virtualiter diceret hoc modo: cùm certus sim, quòd mea interna locutio divina sit, ideo non est mihi curandum quid dicat Ecclesia, cùm ejus locutio certior esse non possit, nec possit meæ contradicere, nisi falsum dicendo. quo jure adiges rusticum ad audiendam Ecclesiam, si memor sit, aut se esse dicat suæ internæ locutionis divinæ? Verum est ergo, quòd in hac sententia vehementer enervetur, si non penitus

tollitur necessitas Regulæ externæ Infallibilis; & ideo non sine caussa dixisse videtur P. Comptonus disp. 10. de Fide s. 3. per hanc illuminationem ansam præberi Hæreticis; privatum suum spiritum mordicùs defendendi, cùm videant, tantundem ferè statui à Theologis in rudibus & indoctis. Et hæc circa primum argumentum P. Esparza contra Pallavicinum.

208. Alterum argumentum est hoc. Si duæ res inter se comparentur, vt nihilo inter se differant, nullúmque in se habeant Discerniculum, nullâ mentis illustratione, nullâve vi fieri potest, vt discernantur: id quod confirmatur exemplo. peritus enim metallorum potest discernere aurum ab aurichalco, & quodvis verum à quovis apparenti ejus generis; quod non potest imperitus, quia inest auro vero aliquid, quod non inest auro adulterino: si verò nihil insit reipsâ diversum, tam parùm potest discernere peritus quàm imperitus: ergo si inter revelationem legitimam & illegitimam nullum sit ex parte objecti discrimen, non poterit vna ab altera discerni, per quamcunque illustrationem.

Ad hoc argumentum respondent illi ipsi RR. Illustrationes ejusmodi internas experimentaliter longè aliter afficere hominem, quàm possint vllæ naturales; ideo cùm sint immediatè subjectæ experientiæ, nos ex illis quas sentimus, colligere, adesse vocem Deo propriam, veluti audiremus aliquem intus dicentem: *Non vox hominem sonat.* & ideo tanquam ex signo extrinseco discernere nos propositionem veram à falsa, quæ semper ex parte objecti sunt diversæ, cùm vna includat derivationem à prima veritate, altera verò non; quæ differentia non dignoscitur independenter ab instinctu interno, dignoscitur autem per illum ipsum, cùm sit vox quasi Dei (notetur hæc limitatio: *quasi Dei:* ergo non est essentialiter vox Dei, sed tantùm *quasi*) mihi dicentis, quænam propositio parochi sit revera derivata. Addunt deinde, non improbabiliter etiam ex parte objecti diversum assignari posse. Est enim illuminatio hæc ejusmodi, vt quasi dicat: (en? iterum vnum *quasi:* non quærimus quid *quasi* dicat: sed quid revera dicat) *revelationem hanc esse divinam seu derivatam, offertur tibi à Deo specialiter te instruente.* concipimus ergo per hanc apprehensionem & illustrationem Deum vt auctorem locutionis internæ, & potentem instruere per se sine strepitu verborum, per illapsum inimitabilem vlli creaturæ. Quodsi tibi (inquiunt & benè divinant) hoc non satisfaciat (ita est, nam paulò pòst ostendam hunc illapsum esse chymæricum,) non sumus nos meliores quàm S. Augustinus, qui tr. 40. in Jo. circa medium de tali interna locutione sic ait. *Tamen nescio quid incorporaliter & spiritualiter facit in nobis Deus, quod nec sonus est, qui aurem percutiat, nec color &c. tamen aliquid est, quod sentire facile est, explicare impossibile est.* Ita illi, quibus discipulos suos & nos instruxerunt, quâ ratione possimus facillimè respondere ad quascunque difficultates circa gratias prævenientes, aliósque actus supernaturales, nempe cùm vrgemur argumentis, dicendum est: Apage cum ejusmodi: non tenemur vlteriùs respondere; non enim sumus meliores S. Augustino, qui jam pro nobis respondit; *sentire facile est, explicare impossibile.* Quæ S. Augustinus dixit verissima sunt. S. Joannes Baptista in vtero matris facilè expertus est illuminationem, quâ Christum præsentem agnovit, quâ autem explicet, quomodo ea facta sit? B. Franciscus Borgia quando venit in templum vbi asservatum est V. Sacramentum, sensit extraordinarios impulsus ad venerationem Eucharistiæ, quales non fecit, quando non erat asservatum, & sic de infinitis alijs. Tales motus & impulsus exortos in circumstantijs in quibus non apparet vlla caussa naturalis à qua proveniant, rectè per Regulas discernendi spiritus bonos à malis creduntur fieri à Deo; sed quomodo fiant, quibus medijs adhibitis, an medio principio intrinseco, vel per concursum merè extrinsecum, an mediante bono Angelo, vel immediatè à Deo, an beneficio specierum impressarum naturaliter acquisitarum, vel potiùs beneficio infusarum sive per se sive per accidens, hoc sanè est impossibile explicare *explicatione scientificâ.* Sed nunquid propterea non potest explicari, in quodnam objectum ferantur? an sint judicia affirmativa, vel metæ apprehensiones? an delectent, vel perturbent? si hæc non possent explicari, quare ergo hujusmodi impulsus & illuminationes sunt exponendæ Patribus Spiritualibus? cur enim exponantur, si exponere est impossibile? Itaque, S. Augustinus tam hebes non fuit, vt negaret hæc prædicata, quæ cadunt sub experientiam, posse explicari, sed negavit posse se explicari, explicatione scientificâ, modum caussandi in nobis sine nobis has illuminationes, adeo enim hoc est difficile, vt hodieque non desint Theologi qui dicant, quòd nos merè passive habeamus. Vno verbo. Prædicatum primum Supernaturalitatis non potest scientificè explicari, quia de Supernaturalitate quâ tali nullam habemus scientiam, vt dixit Card. de Lugo, & per se notum est. Nihil ergo solidi (salvo aliorum judicio) ad argumentum P. Esparza respondemus, isti RR. vt magis patebit ex sequentibus. Nunc ergo

209. Contra Discerniculum Pallavicini argumentor ego Primò. In illud debet fieri resolutio fidei, quod vltimò reddimus pro ratione, quare credamus v. g. Mysterium Incarnationis: atqui pro ratione vltima non reddimus aliquam Illustrationem tanquam motivum formale. Quod ergo nulla hujusmodi Illustratio est (de via ordinaria) motivum credibilitatis, seu motivum credendi. Major patet, qui enim dicit se aliquid credere, & non potest allegare motivum credendi, & quidem tale, quod prudentia commendat, convincitur credere leviter & imprudenter. Minor probatur. Quiâ si quis interroganti Judæo, quare

quare credat Incarnationem, responderet: *quia adsic credendum illuminor tali illuminatione, quæ dicit: se esse vocem Dei* vel quasi, *& parochum verum dixisse, cùm dixit, Verbum esse incarnatum.* Nunquid Judæus rideret talem instructorem? Nunquid diceret: ego audivi tuum parochum hoc jam sæpius dicentem, sed nunquam expertus sum talem illuminationem. Et si rusticus replicaret: habuisti, sed jam es illius oblitus: nunquid Judæus rectè vrgeret, & quæreret, an & rusticus illius oblitus sit? si oblitus est, vnde scit se habuisse? si non est oblitus, quare Judæus credat rustico, se esse imbecillioris memoriæ?

210. Respondent quidam RR. Rusticum dum credit parocho, non se impendere, neque attendere ad illud motivum propter quod credit parochum verum dicere (& hoc est illuminatio) sed attendere potiùs ad id quod parochus dicit, nempe Incarnationem Verbi esse probatam tot Miraculis, & tot Miracula non posse non esse locutionem Dei: hinc fit, vt quando ex rustico quæritur, quare credat incarnationem Verbi, statim respondeat id, in quo se maximè fundavit, nempe in miraculis assertis à parocho, sed non attendit, vnde habeat parochum verum dicere, dum dicit tot miracula exstitisse.

Sed contra. Si ergo Judæus quærat, vnde rusticus habeat, tot esse facta miracula, & parochum hoc verè dixisse? nunquid respondere debebit rusticus: Ego me illi motivo non impendi, nec ad illud magnopere attendi. Sed vrgebit Judæus. Inepte, ad hoc debebas vnicè & maximè attendisse, inde enim pendet veritas totius negotij, & obligatio credendi firmissimè: nam & ego audivi illum hæc eadem dicentem, sed non credo illi: quodsi ego habuissem motivum illi credendi firmissimè, profectò ad hoc vel maximè attendissem, & bene memoriæ impressissem, indè enim vnicè penderet salus mea.

Contra 2. Hoc est sanè Rusticos, & simplices omnes arguere inexcusabilis socordiæ, quòd nempe clamante parocho exteriùs, & clamante Deo (*vel quasi*) interiùs, attendant præcipuè parocho, & non attendant præcipuè Deo. Nunquid si vox de Cælo veniret, prout venit in Baptismo Christi, & in monte Thabor, quæ diceret: *Attendite Rustici, quidquid vobis dixerit Parochus, hoc ego olim revelavi.* Nunquid, inquam, rustici non attenderent huic voci præcipuè, sed statim illius obliviscerentur, & attenderent parocho? quis hoc dicat? An vox externa fortissimè moveat rusticos, & impellat ad se attendendam, & vox interna Dei quoad substantiam supernaturalis, non pariter immò magis impellat? Nunquid rusticus poterit dicere Deo: *Clama fortiùs, vt non prævaleat sermo parochi?* Sanè si Deus vult audiri præ parocho, debet clamando vincere parochum: vult autem audiri præ parocho, hoc est, vult suam auctoritatem plurìs fieri quàm parochi, quia vult suâ auctoritate confirmare sermonem parochi, vt tu doces: cur ergo non clamat fortiùs?

211. Argumentor 2. Si daretur hujusmodi Discerniculum internum inter locutionem veram & falsam parochi, deberemus hoc Discerniculum reflexè cognoscere, & advertere nos illud habere, illiusque deinde meminisse, sicut omnes illi constantissimè meminerunt suarum Visionum, raptuum & illustrationum, à quibus tanquam objectis formalibus & motivis *vt quod*, fuerunt permoti ad aliquid agendum, vel credendum: sic Joannes Baptista bene meminit illorum Verborum, quæ audivit dum Christum baptizavit. Sic S. Petrus bene meminit Visionis suptà relatæ. Sic Josephus bene meminit suorum somniorum, sicut & infiniti alij, quibus Deus per somnia voluit aliquid significare. Quando autem permisit Deus hujusmodi somniorum oblivionem, vt in Rege Pharaone, mansit tamen memoria somnij eatenus, quatenus in confuso recordabantur, se habuisse miraculosum somnium, & hoc Deus permisit, vt postea haberet occasionem exaltandi Josephum, quem misit, vt speciem somnij in memoriam revocaret. Subsumo: atqui Rusticorum nullus vnquam auditus est asserere, se hujusmodi Discerniculum expertum esse, & ab illo reflexè cognito tanquam motivo credibilitatis fuisse permotum, vt actum fidei firmissimum eliceret, credendo Incarnationem propter tale Discerniculum, quod fallere nullo modo potest, nec à Deo permitti quin Deus loquatur, & quod ad movendum non minorem vim habuerit, quàm si Rusticus millena miracula coram fieri spectâsset. & si rusticus tale quid assereret, pro homine phanatico aut impostore communiter ab omnibus haberetur: ergo malè dicitur, quòd Rustici communiter & perpetuò habeant hujusmodi Discerniculum.

212. Respondent Adversarij, negando majorem, & dicunt, plurimis instantijs ostendi posse, quòd plurimos actus internos eliciamus, quos tamen non deprehendimus reflexè nos habuisse 1. non semper recordamur auctoritatis v. g. Petri, ob quam credimus Paulum esse mortuum, & tamen eâ movemur, quando id credimus. 2. Conclusionis actus attingit objectum præmissarum, & tamen non deprehendimus reflexè nos illud attingere. 3. Judicium practicum semper est evidens, & tamen multi Casistæ negant illud semper adesse, quando peccamus. 4. in multis fidelibus non potest negari exstitisse fidem firmissimam, qui tamen dicunt se motos fuisse solâ auctoritate humanâ, quod tamen falsum est, quia fides firmissima debet habere Discerniculum veri à falso.

Contra 1. Hæc omnia exempla non sunt ad rem. Non primum & secundum, quia falsum est quòd quando postea assentimur, non memores auctoritatis & motivi primò habiti, quòd inquam ab illo tunc moveamur, sed determinamur ad ita judicandum à speciebus relictis ex prioribus

prioribus assensibus, & ab ipsis assensibus ita reflexè cognitis. vnde si ex tali quæreres: vnde scis Paulum esse mortuum? non quidem respondebit: quia Petrus dixit: ponitur enim hujus oblitus: sed, certò recordor me hoc pridem authenticè audivisse, licet nesciam à quo. Non Tertium. Quia nullus Casista vnquam dixit, nos nunquam tale Judicium habere & experiri, ac illius meminisse, sed, quòd putent nos quandoque peccare, quin illud habeamus, in quo falluntur, quia tunc non peccatur, quando illud non habetur. Præterea fatentur, adesse semper Judicium evidens, sed non nisi malitiæ in confuso, hoc autem sufficit ad salvandam experientiam; nam illud Judicium dari probatur ab ipsa experientia, nempe ex remorsu conscientiæ, quem non possemus deponere. Non quartum. quia falsum est, quòd illi habuerint, aut dicant se habuisse actum firmissimum in eo sensu, in quo discernicularij isti ponunt firmitatem, nempe intellectualem, incompossibilem cum omni formidine, & qualem non possumus habere circa objecta falsa, sed habuerunt & dicunt se habuisse firmissimum assensum firmitate adhæsivâ & affectivâ.

213. Contra 2. Sicut certissimum est, quòd aliquorum actuum habitorum obliviscamur, ita etiam certissimum est, quòd non obliviscamur omnium, & statim, sed econtra plerorumque si non diu, saltem aliquandiu recordamur; Rustici verò nunquam dicunt, se hujus Discerniculi recordari: deberent autem illius recordari, alioquin quale est Discerniculum? Si hoc discerniculum à Deo infunderetur, in eum vtique finem infunderetur, in quem finem parochus proponit articulos fidei, nempe vt deinceps rusticus haberet Regulam cognoscendi, quid credendum, quid non credendum sit. Ergo sicut rusticus debet postea, per se loquendo, posse meminisse propositionis parochi, ita etiam deberet posse meminisse locutionis divinæ, nam vna sine altera non est sufficiens Regula fidei.

Contra 3. Nemo, per se loquendo, statim obliviscitur contractuum initorum, & promissionum à se factarum; nemo statim obliviscitur suorum Votorum & Juramentorum, quia nimirum inducunt obligationem gravem aliquid agendi. atqui obligatio credendi est omnium gravissima; ergo si hæc inducitur per Discerniculum à Deo infusum, debet ita infundi, vt per se loquendo rusticus illius non statim obliviscatur.

214. Contra 4. Et quæro ex adversarijs, vnde habeant, quòd Discerniculum fuerit illuminatio potiùs purè interna, quàm externa, v. g. quàm voces in aëre formatæ, vt suprà dicebam? Nunquid ideo, quia ex hocipso quòd rustici non meminerint illius, non potest rationabiliter dici, quòd fuerint auditæ tales voces, quia earum rustici certò certiùs meminissent. Atqui ego hoc negabo, & dicam, quòd earum fuerint obliti, & afferam pro me casus quos adversarij attulerunt, faciámque hoc entymmema. Dum plurimi actus, quorum non habemus memoriam, ergo poterunt etiam illæ voces ita fuisse peractæ, vt tamen non meminissent rustici? Cur non? an ideo, quia audire hujusmodi voces est res insolens? atqui non minùs insolens est illuminatio supernaturalis, æquivalens in efficacia tuendi infinitis Miraculis, clamans (vel quasi) esse vocem Deo propriam, inimitabilem à Natura, se esse specialem instructionem Dei &c. Sed quid opus pluribus in re clarissima?

215. Argumentor 3. Illustratio, in qua ponit Pallavicinus Discerniculum, est vtique actus intellectualis: ergo debet posse assignari illius objectum: hoc non est locutio parochi secundùm se spectata, nam hæc etiam per actum Naturalem potest repræsentari, & repræsentatur quando parochus falsum dicit: ergo est aliquid aliud, nempe hoc quod est: *esse derivatam à locutione propria Dei*, hoc enim est objectum ipsius actûs fidei, quod isti docent, & affirmatur propter ipsam illuminationem, tanquam propter *motivum formale* quod vno verbo, Parochum dicere verum, affirmatur actu libero: Illuminatio autem illa Pallavicini non est actus liber, sed fit in nobis sine nobis: ergo debet esse aliud illius objectum: atqui nullum potest assignari: ergo non datur illa illuminatio quæ sit Discerniculum locutionis vera à falsa.

Respondent Recentiores, & explicant objectum illius Illuminationis, quòd nempe habeat pro objecto seipsam, & præterea locutionem parochi vt derivatam à locutione præterita Dei: explicant, inquam, dicendo, quòd illa Illuminatio dicat: *Ego sum locutio Dei propria, immediata à Natura, certificans te, quòd Parochus nunc loquens locutione derivata à revelatione Dei immediata facta olim de Incarnatione Verbi.*

Contra. Vel hoc dicit illa Illuminatio enuntiativè & affirmativè, vel solùm vt apprehensio suasiva, obscura, & libera, hoc est, quæ non necessitet ad assensum: neutrum dici potest: ergo non satisfacit data responsio. Minor probatur quoad primum membrum dupliciter. primò, quia tale judicium esset evidens, vtpote independens ab omni imperio voluntatis: atqui tunc Fides evaderet evidens in attestante. quia non Veracitas quàm locutio Dei esset evidens. Secundò, quia sic possent in eodem intellectu conjungi & coëxistere duo judicia contradictoria: nam isti RR. contra Pallavicinum docent, quod quis possit stante hac illuminatione, dissentire & dicere: *Non datur locutio Dei de hac re*, ergo si simul daretur illuminatio dicens, se esse locutionem de hac re, darentur judicia contradictoria. Sed neque secundum dici potest, nempe quòd illa Illuminatio sit mera apprehensio suasiva respectu sui ipsius, hoc est, suadens assensum circa hoc, se esse locutionem Dei certificantem de Veritate locutionis parochi. Probatur. Si hæc Illuminatio & locutio interna Dei esset apprehensio suasiva tantùm

circa hanc veritatem : *Ego sum locutio Dei :* hoc ipso hæc Illuminatio non esset objectum formale *quod*, ipsius actus fidei ad quem est apprehensio suasiva : hoc est contra adversarios, qui docent, hanc ipsam veritatem affirmari ab actu fidei. Sequela probatur. Apprehensio suasiva habet se ad suum objectum sicut se habet assensus quem suadet, & solùm differt in modo tendendi, vt omnes philosophi nôrunt : ergo sicut ipse assensus habet se respectu objecti solùm vt Quo, & non vt Quod, hoc est, non est id quod affirmatur, sed est id quo affirmatur objectum distinctum, ita apprehensio suasiva debet se respectu sui objecti, cujus assensum suadet, solùm habere vt Quo, & non vt Quòd. Patent hæc omnia inductione manifestâ per omnes apprehensiones suasivas: v.g. apprehensio suasiva, quòd omnis mater diligat filium, non habet se vt motivum formale Quod, respectu assensûs quo quis judicat, omnem matrem diligere filium. & sic de alijs, nec credo, quòd philosopho vnquam venerit in mentem oppositum. Repugnat ergo quòd Illuminatio illa adversariorum sit apprehensio suasiva circa se ipsam & suam propriam differentiam, sed quidquid de seipsa diceret, diceret evidenter, evidentiâ metaphysicâ, non minùs quàm : *se existere : se esse repræsentationem intentionalem &c.*

216. Confirmatur 1. Si hæc Illuminatio esset objectum formale Motivum *vt Quod*, & immediatum ac vltimum (vt isti RR. docent) actûs fidei, tunc actus fidei esset actus evidens, nullo indigens imperio, quia fieret per species proprias sui objecti : omnis autem assensus productus ab objecto immediatè applicato, & per species proprias, est actus evidens, & independens ab omni imperio voluntatis, vt patet per inductionem omnium sensationum, & actuum nostrorum internorum reflexè cognitorum per species propias ipsorum actuum, seu per immediatum influxum ipsorum actuum.

217. Confirmatur 2. Ipsa Illuminatio non cognoscit se per species alienas, vt ex terminis patet : ergo nec ab assensu fidei cognoscitur per species alienas, quia assensus fit per easdem species, per quas fit apprehensio suasiva. ergo repugnat talem assensum esse obscurum & liberum : nulla enim alia ratio assignari potest, vnde proveniat evidentia aliorum actuum productorum per species proprias objecti, si species propriæ non habent vim caussandi evidentiam actûs & determinandi potentiam ad assensum.

Confirmatur 3. Apprehensio intuitiva duorum prædicatorum in eodem objecto, determinat intellectum ad assensum, & ad affirmandum vnum de altero : atqui hæc Illuminatio prout à RR. explicata, esset apprehensio intuitiva duorum prædicatorum vt inexistentium eidem objecto : ergo determinaret & raperet intellectum ad affirmandum vnum de altero. Minor probatur. Imprimis enim est apprehensio intuitiva sui ipsius, vt adversarii concedunt, & clarum est, non enim fit per species alienas : deinde est apprehensio terminorum hujus totius propositionis, *ego sum locutio Dei propria, specialis instructio Dei, circa locutionem externam parochi &c.* ergo est apprehensio intuitiva duorum prædicatorum vt inexistentium sibi ipsi : quid ergo, quæso, deest illi, quominùs rapiat & determinet intellectum, ad affirmandam totam illam propositionem, sicut apprehensio terminorum hujus propositionis : Totum est majus suâ parte ? Nec ego, nec alij quidquam invenire possumus.

218. Confirmatur 4. Omne judicium quod & quatenus reflectitur in seipsum, quoad hanc reflexionem est evidens : ergo etiam omnis apprehensio quatenus reflexa in seipsam, est eatenus apprehensio evidens : atqui apprehensio evidens quà evidens, rapit intellectum ad assensum : ergo si Illuminatio est reflexa in seipsam quoad hæc prædicata : *esse locutionem Deo propriam, & specialem instructionem &c.* erit evidens, & ad hæc affirmanda rapiet Intellectum. Antecedens est omnium philosophorum, & patet ex eo, quia alioquin posset intellectus simul judicare contradictoria, vnum quidem per judicium actûs de seipso, alterum per actum reflexum supra hoc judicium, si hoc posset esse obscurum. Consequentia probatur 1. Quia ratio probans judicium in se reflexum esse evidens, probat etiam de apprehensione, nempe quia non fit per species alienas, & quia est experientia seu notificatio experimentalis sui ipsius. Probatur 2. vel potiùs alijs terminis declaratur. Ideo Judicium reflexum quoad hanc reflexionem semper est evidens, quia per reflexionem actus cognoscitur à seipso, & in se, & non in ænigmate. atqui hæc eadem ratio procedit etiam de reflexione apprehensionis in se. Ergo &c. Propter hoc itaque argumentum cum suis confirmationibus, ego, (alijque ingeniosi Magistri, quibus illud examinandum subjeci) semper existimavi, Illuminationem Pallavicini, prout explicata est à quibusdam Modernis, quos solos scio fuisse secutos Pallavicini discerniculum, esse Chymæricam, nec credo Pallavicini mentem talem fuisse, qualiscunque tandem illa fuerit.

219. Argumentor nunc 4. Per hanc Illuminationem amittit Propositio Ecclesiæ facta per parochum, rationem locutionis divinæ : consequens est contra Scripturam, & contra id quod hi ipsi Recentiores docent : ergo & id ex quo sequitur. Sequelam adversarij videntur admisisse, quando dixerunt, Propositionem parochi esse tantùm denominativè locutionem Dei. sed probatur facilè : quia sola Illuminatio interna est secundùm adversarios locutio Dei essentialis respectu Rustici ; atqui propositio parochi non est pars constitutiva Illuminationis : ergo nec est pars constitutiva locutionis divinæ quæ movet rusticum. Minor probatur. Quia Scriptura de omnibus Ministris nomine Dei loquentibus dicit : *qui vos audit me audit.* atqui, vt ipsimet adversarij docent (verba suprà retulimus) parochus loquens

locutione derivatâ à prima revelatione, loquitur nomine Dei: ergo qui illum audit, Deum audit. Sed non audiret Deum in parocho, si locutio parochi non esset pars constitutiva locutionis divinæ: ergo est pars constitutiva locutionis divinæ etiam respectu rustici. Retuli etiam suprà verba S. Thomæ, hocipsum dicentis. Vnde, & meo, & aliorum judicio, Recentiores isti doctrinæ consequentiam in hoc puncto deseruerunt, immò contradictoria asseruerunt.

Confirmatur argumentum. Istâ Illuminatione concipitur à Rustico Deus vt auctor locutionis internæ, & potens instruere per se sine strepitu verborum, per illapsum inimitabilem omni creaturæ. ita habent adversarij in terminis. atqui propositio Ecclesiæ facta per parochum, fit cum strepitu verborum: ergo non est pars illius locutionis, quâ Deus instruit rusticum.

Dices: Non esse quidem partem locutionis divinæ quâ Deus instruit rusticum circa veritatem propositionis parochianæ, esse tamen partem locutionis quâ rusticus movetur vlteriùs ad credendum Verbum esse incarnatum. Sed contra. Hac ratione posset & deberet dici, quòd etiam locutio Psytaci posset esse pars locutionis divinæ, si nempe Illuminatio diceret, *verum est, quod psytacus dicit:* & psytacus diceret: *Verbum est incarnatum.* Sicut ergo non moveret auctoritas psytaci, ita nec moveret auctoritas parochi, & perinde esset, etiamsi esset homo mendacissimus. Immò rusticus posset parochum confirmare in fide, & illi dicere: Ego certus sum, quòd verum sit id quod tu dicis, non quia me movet tua Veracitas, sed, quia Deus mihi hoc de te dixit: quare, sive tu credas sive non, ego tamen certus sum de Incarnatione. Itaque Missio parochi, ejúsque Ministerium nullo modo esset pars, sed sola vox materialis, immò nec hæc necessariò esset: quia Illuminatio diceret: *Verbum est Incarnatum, sicut dixit Parochus:* & sic locutio parochi esset merum objectum materiale, sicut ipsum Verbum incarnatum.

220. Argumentor 5. Adversarij in sua explicatione Discerniculi incidunt in explicationem Critirij seu Spiritûs privati, quem hæretici prætendunt: ergo ab eâ est abstinendum. Antecedens probo. Per illorum Illuminationem homo ita disponitur, vt non tantùm cognoscat in actu exercito, quòd hic instinctus sit à Spiritu S. sed etiam in actu Signato, vt certus sit, quòd infallibiliter benè judicet, dum reflexè dicit esse verum, & non tantùm apparentem instinctum Spiritûs Sancti: atqui hoc modo hæretici explicant suum Spiritum privatum: Ergo &c. Minor est adversariorum in terminis. Major probatur. Ad hanc Illuminationem debet sequi Judicium credibilitatis evidens, dicens, quòd omnia motiva contraria, hoc est, suadentia illam illuminationem non esse locutionem divinam, sint inæstimabilia: item quòd honestum atque obligatorium sit judicare esse verum instinctum Dei: ergo per illam illuminationem ita disponitur rusticus, vt etiam in actu signato dicere possit, se infallibiliter bene judicare, dum dicit, hunc instinctum esse à Deo.

Solvemus nunc argumenta quibus probatur Pallavicinus. alia, quæ RR. mei Collegæ suprà commendati superaddiderunt, solvemus acturi de Firmitate fidei; & aliqua jam superiùs soluta sunt.

Objicit ergo primò S. Thomam 22. q. 2. a. 9. ad. 3. vbi de illo qui credit, sic habet: *Judicium authoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus est interiori instinctu Dei moventis, idem non leviter credit.* Ergo secundùm S. Thomam instinctus Dei movens ad credendum, est motivum formale *quòd.* ℟. Nego Consequentiam, & dico hunc locum non rectè adduci pro Discerniculo, sicut non rectè idem Cardinalis adduxit plura loca S. Thomæ & Scoti, ad persuadendum liberibus, ipsos stare pro sententia sua de actibus liberis Dei, existentibus quidem ab æterno, sed nec identificatis cum aliquo creato, nec cum aliquo increato, adeoque in confinibus vtriusque. Ostendo rem ita se habere.

221. Si S. Thomas esset intelligendus de Discerniculo objectivo, & hujusmodi illuminatione, sequeretur 1. hoc Discerniculum in omnibus fidelibus requiri vltra motiva externa credibilitatis, quod est contra ipsum Pallavicinum. sequela patet, nam S. Thomas requirit instinctum vltra miracula & doctrinam Ecclesiæ, & quidem in omnibus credentibus. Sequeretur 2. Quod plùs esset tribuendum Discerniculo quàm authoritati Ecclesiæ: dicit enim: *quod plus est.* hoc autem est contra hunc ipsum authorem, & non posset sine errore dici, quia Rusticus debet adparatus potiùs sequi auctoritatem Ecclesiæ, tanquam Regulam externam & vniversalem. Sequeretur 3. Omnem eum leviter credere, qui credit sine Discerniculo, nam S. Thomas ideo requirit instinctum, vt quis non leviter credat: atqui hoc est falsum & contra ipsos adversarios: nam ipsimet fatentur, quòd parocho proponente Discerniculum falsum, teneantur rustici velle credere saltem fide humanâ, immò quantùm in se est conari credere fide divinâ, hoc est, teneantur credere, parochum loqui nomine Dei, & locutionem derivatâ à Dei prima revelatione, & talem veritatem esse supernaturalem ac meritoriam, atqui hoc modo non credit leviter: & tamen credit sine discerniculo: ergo falsum est, quòd qui non habet Discerniculum, leviter credat. Ergo S. Thomas non loquitur de Discerniculo objectivo. Quis ergo est Sensus Sancti Thomæ? Clarissimus. Quis enim dicitur *leviter credere?* ille, qui non examinatis motivis credendi, adeoque nec agnitâ honestate credendi, adeoque sine omni dictamine prudentiæ, credit. vt ergo quis non leviter credat, requiritur Judicium prudentiæ

prudentiæ, seu Judicium credibilitatis, proponens obligationem, & honestatem credendi. hoc fit per Instinctum Spiritûs Sancti, nempe per primam Gratiam & auxilium supernaturale, vt omnes docemus: ergo de hoc locutus est S. Thomas: atqui hoc non est discerniculum objectivum. ergo S. Thomas nihil locutus est pro discerniculo objectivo. Nescio quid clarius dici possit. Itaque illo loco resolvit S. Thomas fidem duplici resolutione, vnâ in Motivum formale, nempe in auctoritatem Ecclesiæ & Miraculorum, alterâ in suam Caussam efficientem, nempe in interiorem instinctum Dei. Ita S. Thomam interpretatur Aragonius, & apud eundem Bannez, nostrique Theologi. Hinc redditur idonea, nobisque favens ratio, cur dixerit S. Thomas, *& quod plus est.* Nam, vt suprà notavimus, motiva credibilitatis fidei sunt cognoscibilia actu Naturali, qui tamen non disponeret ad actum fidei supernaturalem: quare supernaturalitas fidei resolvitur in lumen supernaturale, tanquam caussam efficientem.

222. Objicit Pallavicinus 2. authoritatem S. Augustini, sed cum aliqua formidine, dicens sur sententiæ favere S. Patrem 11. Confess. c. 3. sed verba non refert, & meritò, quia nihil favent.

Desiderat in illo loco S. Augustinus instructionem circa modum quem Deus observavit in creatione mundi, quem Moyses in sua Genesi non satis expressit. In hunc finem in fine capitis 3. instituit ad Deum preces, pro hujus veritatis scientia, & sic adornat preces suas. Si Moyses adhuc præsens sibi esset, rogarem illum & obsecrarem, vt mihi declararet. Verùm (subjungit) si illud mihi hebraicè declararet, quid prodesset? quia non intelligerem illum. Quidsi latinè? intelligerem illum quidem, sed non propterea NB. scirem modum illum creationis. quare? quia esset authoritas merè humana. Quid jam porrò? Infertne Augustinus, quòd Deus tunc illi interiùs loqueretur, & certificaret de locutione Moysis? nihil horum. sed facit hypothesin. Etiamsi tunc scirem, non à Moyse hanc scientiam haberem, sed à Deo interiùs me docente. Hinc infert in fine cap. Ergo cùm non possim hoc doceri à quoquam, nisi à Deo id mihi revelante, & quidem immediatè, eò quòd toti Ecclesiæ non sit revelatum eo modo, quo ego scire desidero, sed opus sit revelatione & instructione speciali & privatâ, ideo incipit invocare Deum, vt ipsum hanc veritatem edoceat. Ex his patet, S. Augustinum non fuisse locutum in illa hypothesi (in qua se fundant adversarij) de fide libera, sed de scientia, vel saltem de evidentia in attestante, non quidem, quòd absolutè dixerit, se eam accepturum fuisse ad præsentiam Moysis, sed loquitur conditionatè: si tunc acquisivisset scientiam, ea debuisset vtique miraculosè infundi à Deo.

Sed, demus S. Augustinum locutum fuisse de fide, hoc nihil favet Pallavicino. Quæro enim, an S. Augustinus fuerit tunc vnus ex Rusticis aliisque Simplicibus, pro quibus excogitatum est Discerniculum? non vtique. Ergo non loquitur de Discerniculo Adversariorum. Ratio est, quia qui non est rudis & simplex, non tenetur credere vni homini aliquid affirmanti esse à Deo revelatum, si nihil aliud accedat, sicut tenetur credere rusticus suo parocho: quare vt S. Augustinus haberet motivum credendi proportionatum homini tam sagaci, debuisset vtique esse motivum altioris ordinis quàm vnius hominis, & æqualis apparentiæ cum motivis credibilitatis totius Ecclesiæ. Vides ergo, quàm impertinenter fuerit introductus S. Augustinus in persona Rusticorum.

223. Objicit Pallavicinus 3. Nisi admittatur Discerniculum, quod habeat ex essentiali prædicato esse locutionem divinam, non potest explicari, quomodo omnis qui non credit, quando credere deberet, faciat Deum mendacem: atqui hoc est necesse, quia hoc dicit Scriptura 1. Jo. 5. Ergo &c. Ad hoc argumentum abunde responsum est superiùs cap. 1. Contr. 4. à n. 8.

§. IV.

Discerniculum P. Martini Esparza rejicitur.

REjeci hujus auctoris Discerniculum anno hujus sæculi 54. hoc est, illo ipso anno quo primò illud tradiderat ex Cathedra Theologica Romæ, vnde ad me transmissa sunt, quæ dictaverat. Octennio pòst, cùm jam illud typo vulgâsset, iterum rejeci. Nunc autem anno hujus sæculi 67. accepi Româ ejusdem refutationem accuratam ab eodem P. Hispano dictatam, cujus argumenta contra P. Ant. Perez retuli suprà §. 2. Et quamvis hujus Recentioris argumenta coincidant cum meis, malo tamen ea illius quàm meis verbis referre, paucis immutatis, addendo subinde aliqua de meo.

224. Relato itaque discursu P. Esparza, quo suum discerniculum declarat, ijs verbis quæ suprà recitavi, subjungit laudatus Recentior. *Totus hic discursus, nullo exteriùs impellente corruit:* hujus rei sex rationes affert. Prima, quia incredibile videtur, & est, quòd rusticus credens loquente parocho, cognoscat, & cognoscendo pertingat eò, quò fides adulta sui parochi non pertingit, & quòd parochus vtrumque articulum, hoc est, tam verum quàm falsum credat in casu quo vtrumque proponit, rusticus verò verum à falso statim possit discernere. Et quod incredibilius est, rusticus videat fidem parochi veram aliam, aliam falsam, aliam Naturalem fictam à proprio cerebro, aliam supernaturalem infusam, instinctam à Spiritu S. parochus autem suam ipsius fidem veram à falsa, supernaturalem à naturali discernere non valeat. Hoc est primum argumentum hujus R. qui deinde quædam addit, quæ vim crisis potiùs habent quàm argumenti.

Ego solùm addo, commodiùs, & rusticis favorabiliùs dicturum fuisse P. Esparza, quòd Deus illuminet rusticum immediatè circa ipsam locutionem divinam activam, quàm circa fidem internam prædicatoris; cùm enim parochus loquatur nomine Dei, ejus voces æquè substituuntur conceptui Dei, quàm parochi: majus autem commodum inde haberent rustici, quia motivum vniversalius: quidsi enim parochus dum loquitur, nullum habeat conceptum supernaturalem? quidsi suam concionem recitet ex memoria, nullâ factâ reflexione aut assensu ad ea quæ loquitur? nunquid tunc rusticis deerit motivum credendi? deerit quidem secundùm P. Esparzam, non deesset autem, si illuminatio fieret immediatè circa conceptum Dei, aut illius qui primus à Deo Mysterium accepit, & credidit.

225. Secundum argumentum. Arcana cordis nostri non solent de lege ordinaria manifestari alijs: atqui conceptus parochi est inter Arcana cordis: ergo non manifestatur rustico. Respondent, parochum in hanc manifestationem consentire, & sic tolli arcanum. Sed contra: si hoc sufficeret, tunc talis manifestatio non esset Miraculosa, sed connaturalis, sicut docetur de locutione Angelorum: ergo quivis nostrûm posset alteri immediatè inspiciendum exhibere suum internum conceptum. non est ergo in potestate hominis tollere hoc modo arcanum suorum actuum; sed solùm, vt cognoscantur in effectibus, quales sunt Voces, quæ proinde sunt motivum judicandi, adesse talem conceptum: hoc autem motivum est fallibile, nec aptum manifestare discrimen inter actum naturalem & supernaturalem.

226. Tertium argumentum. Ex principijs P. Esparza sequitur, dicendum esse, quòd quilibet legens S. Scripturam, certificetur de vero sensu Scripturæ, per instinctum Spiritûs Sancti, quatenus Deus illuminaret intellectum legentis, vt videat in particulari conceptum verum & supernaturalem quem habuit Scriptor Canonicus dum scripsit; quia non minùs Scripturæ substituuntur loco conceptuum quàm verba: ideoque quilibet fidelis, juxta illud, quod etiam adversarij pro se citant, *spiritualis judicat omnia*, per instinctum Spiritûs S. discerneret verum intellectum à falso omnium S. Scripturæ verborum, quod per se est absurdum. Addo ego 1. & mirè favens errori hæreticorum circa spiritum suum privatum. Addo 2. quòd rusticus posset discernere, in quo sensu parochus aut Scriptor Canonicus verba protulisset, in casu quo verba sunt æquivoca, duplicem sensum habentia; nam conceptus non est æquivocus. Hoc ipsum contra Discerniculum Pallavicini vrgeri potest. Hinc iterum manifestè sequitur, quòd Verba ipsa non essent aliud quàm mera conditio, quâ positâ placet Deo talem illuminationem immittere.

227. Quartum argumentum hujus R. nihil reipsâ differt à primo, & ideo illud non refero.

Quintum argumentum, & meo judicio optimum, est, retorquendo fundamentum seu exemplum adversarij quo vtitur, quando dicit: Sicut locutio naturalis in audiente benè naturaliter disposito, generat notitiam conceptûs naturalis loquentis, ita locutio supernaturalis, quamvis in supernaturalis tantùm quoad modum, generet in audiente benè supernaturaliter disposito, notitiam conceptûs supernaturalis loquentis. Hoc, inquam, retorquetur ab hoc Recentiore hoc modo: Locutio naturalis, quia ex se non potiùs procedere à cognitione certa quàm incerta, non potiùs à clara quàm obscura loquentis, non potest generare in audiente, quantumcunque naturaliter benè disposito, notitiam conceptus potiùs certi quàm non certi, potiùs clari quàm obscuri: ergo si locutio naturalis parochi secundùm se non convertitur potiùs cum conceptu supernaturali, quàm cum naturali, quia non petit secundùm se potiùs procedere à supernaturali quàm à naturali; immò si aliquam particularem affinitatem per illa dependentiam habet ab altera harum rationum, potiùs per se supponit cognitionem naturalem sibi proportionatam, quàm supernaturalem; non potest audientem quantumcunque sit benè dispositus supernaturali lumine, deducere in notitiam conceptûs supernaturalis potiùs quàm naturalis præcedentis in mente parochi loquentis. Patet hæc consequentia, quia lumen naturale audientis non est minùs aptum ad attingendam certitudinem & evidentiam naturalem præcedentem in mente loquentis, quàm lumen supernaturale ejusdem audientis ad attingendam supernaturalitatem conceptûs præcedentem in mente loquentis. atqui per lumen naturale quantumvis optimum, non potest audiens cognoscere modò cognitione conceptum loquentis esse potiùs certum quàm incertum, evidentem quàm inevidentem, mediatum quàm immediatum: ergo per lumen supernaturale non potest audiens media locutione externâ, quæ secundùm se est purè naturalis, cognoscere conceptum præcedentem in mente loquentis esse supernaturalem potiùs quàm naturalem. Hac retorsione ostendit iste R. optimè, quòd discursus P. Esparza nimium probet, atque non probet posse à rustico supernaturaliter benè disposito discerni actum parochi supernaturalem à naturali, eum quâ talem immediatè attingendo.

228. Ego paulò aliter discursum & fundamentum P. Esparza retorsi & retorqueo nunc, probando, quòd si quid virium habet, probet pro mea sententia, infrà tradendâ, nempe ad hoc vt detur in homine supernaturaliter benè disposito, actus fidei supernaturalis quoad substantiam, non esse necesse à tali actu attingi immediatè & in se objectum supernaturale quoad substantiam & intrinsecè, sed sufficere, si objectum immediatè attractum sit supernaturale quoad modum & extrinsecè. Probo. Nam sicut in homine naturaliter benè disposito, locutio purè naturalis, [illegible] est sub-

est substituta conceptui naturali, non caussat cognitionem naturalem in audiente, quæ immediatè & in se attingat actum naturalem existentem in loquente, sed tantùm mediatè, attingendo nimirum ipsam locutionem purè naturalem, & in hac tanquam in signo ad placitum actum internum, ita cognitio quæ caussatur in audiente à locutione quoad modum supernaturali, non attinget immediatè & in se actum internum loquentis supernaturalem, sed attinget tantùm locutionem, & in hac tanquam in signo actum internum, in hoc enim debent esse pares, alioquin nulla valet consequentia ab vno ad alterum. Subsumo: atqui locutio tantùm supernaturalis quoad modum, hoc est substituta conceptui supernaturali, potest per P. Esparza in audiente supernaturaliter disposito caussare conceptum supernaturalem quoad substantiam. ergo potest dari actus supernaturalis fidei, Deo sic determinante propter dispositionem supernaturalem, quin objectum immediatè attactum sit supernaturale quoad substantiam, sed sufficit esse quoad modum. & sic ruit totum ædificium Discerniculi.

§. V.

Qualia motiva credibilitatis sufficiant simplicioribus ad credendum fide infusâ.

219. POstquam rejecimus Discerniculum articuli veri à falso, videndum nunc est, quale motivum credibilitatis sufficiat in simplicibus, vt possint credere fide salutari. Itaque

DICO 1. Respectu simplicium sufficiunt motiva credibilitatis ad hoc vt rusticus obligetur ad imperandum assensum fidei, quæ motiva non sufficerent ad obligandum hominem sagaciorem. Recentiores vocant hæc motiva credibiltatis *respectiva*, hoc est, quæ tantùm simplicibus sufficiunt, qui non possunt penetrare motiva credibilitatis vniversalia, superius §. 1. expensa. Conclusio est communissima omnium, etiam qui defendunt Discerniculum. Fatentur enim, quòd parocho etiam falsum proponente, rustici obligentur credere: atqui tunc non habent nisi motiva credibilitatis respectivæ, nempe auctoritatem parochi, quem prudenter judicant loqui nomine Dei, eò quòd sit illis propositus pastor in spiritualibus, & ipsis non liceat ejus fidelitatem, doctrinam, ac auctoritatem impugnare: ergo sicut tenentur eum audire, ita tenentur ei credere, quamdiu non habent probabilem rationem dubitandi de illius doctrina. Quòd verò hujusmodi auctoritas non sufficiat ad obligandum sagaciorem, patet inde; quia sagacior potiùs tenetur non esse contentus loquelâ parochi, sed examinare sensum totius Ecclesiæ, ejúsque Definitionem, & huic soli debet adhærere, quam agnoscit gubernari infallibili assistentiâ Spiritûs Sancti, quidquid dicant parochi quoad dogmata fidei.

Vlteriùs omnes fatemur, quòd in casu, quo parochus falsum articulum proponeret, rustici non elicerent actum fidei supernaturalem, quia talis actus esset falsus: elicerent tamen Judicium practicum supernaturale, hic & nunc honestum esse credere. ad quod judicium sequitur Imperium voluntatis etiam supernaturale & meritorium. Sicut enim potest quis ex errore speculativo formare judicium evidens credibilitatis de honestate alicujus actûs externi, qui tamen est materialiter malus, v. g. ex errore seu ignorantia affinitatis judicat evidenter, se esse obligatum reddere debitum illi, quæ reverà non est vxor, & voluntas reddendi est meritoria, ita absurdum non est, ex judicio practico quòd parocho sit credendum, procedere imperium honestum & supernaturale, etsi actus intellectûs imperatus sit falsus.

230. DICO 2. Casu quo parochus verum dicit, sufficit, vt simplices ex motivo credibilitatis respectivæ eliciant actum fidei supernaturalem. Hæc est sententia tam communis, vt sine longo Catalogo non possint auctores recenseri. Nam præter Capreolum, Canum, aliósque, ex nostris eam docet imprimis P. Valentia q. 1. punc. 4. ad finem, vbi ait, simplicioribus sufficere talem evidentiam credibilitatis, qualem habent pueri, cùm credunt in re gravi parentibus aut Concionatoribus, qui non solent facilè decipere. vel quando moventur ad credendum ratione aliquâ non levis momenti. Turrianus disp. 7. dub. 7. vbi dicit, non semper requiri absolutam evidentiam credibilitatis, sed quandoque, immò sæpè sufficere judicium aliquod credibilitatis in communi. Granadus *tr. 2. disp. 3. s. 1. & 2.* docet, in rudioribus non esse necessariam evidentiam credibilitatis rigorosè acceptam, sed tantùm largè, prout significat id quod requiritur, vt quis prudenter assensum præbeat fidei Mysterijs, aitque ita sentire doctos RR. Theologos. P. Amicus *disp. 3. s. 1. à n. 43. & 51.* cujus verba brevitatis gratiâ non refero, sed solùm noto, ab eo in hunc finem adduci S. Augustinum *lib. 6. Confess. c. 5.* legatur totum caput. P. Conink *disp. 13. dub. 1. n. 8. & 9.* P. Tanner *disp. 1. q. 2. dub. 5.* junctis ijs quæ dixerat *dub. 2. n. 22. & q. 5. dub. 5. n. 171.* quibus omnibus benè inspectis nemo potest de mente hujus auctoris dubitare; benè autem, qui vnum locum sine altero legit, non attendens, in quonam hic auctor constituat infallibilitatem & certitudinem fidei. P. Becanus de Fide *cap. 2. n. 9. & c. 11. q. 4. n. 4. in fine.* P. Arriaga *disp. 3. s. 4. subsect. 4. n. 86. & disp. 5. s. 3. n. 23.* Castro Palao *de Fide tr. 4. disp. 1. p. 4. §. 2.* Card. de Lugo *disp. 5. n. 25, & 36.* & priùs *disp. 4. n. 84.* P. Antonius de *Quiros d. 3. s. 2. n. 8. & 9.* P. Oviedo *hic.* ac denique ex professo hanc sententiam propugnat P. Ripalda.

Probatur à nobis Conclusio brevissimè. Si hæc motiva credibilitatis non sufficerent, tunc vel nullus simplicium ignorantium motiva cre-

dibilitatis vniversalia, eliceret vnquam actum supernaturalem fidei, vel esset admittendum Discerniculum. primum à nemine admittitur; secundum est hactenus rejectum: ergo stat Conclusio. Minor non indiget novâ probatione. Majorem fatentur adversarij, qui non sunt alij, quàm suprà relati Discerniculorum Defensores.

231. Probatur 2. Motiva credibilitatis respectivæ, sunt supernaturalia quoad modum: ergo possunt generare actum fidei supernaturalem quoad substantiam. Probatur Consequentia ex principio P. Esparza jam suprà in hunc finem vsurpato. & Confirmatur. Nam locutio parochi est derivata à locutione activa Dei ad rusticos in hunc finem vt credere possint actu salutari: ergo est pars locutionis divinæ passivæ, etiam secluso omni discerniculo, vt fatentur adversarij: ergo debet posse credi fide tali, quæ est finis illius locutionis, etiam casu quo nullum adsit discerniculum: atqui finis illius locutionis est actus fidei supernaturalis quoad substantiam, & non mera fides aliqua naturalis, quæ sit quædam dispositio ad fidem supernaturalem, qualis fides etiam esset tunc, quando parochus falsum diceret: ergo &c.

232. Objiciunt adversarij. Actus supernaturalis debet habere objectum supernaturale: sed motiva credibilitatis respectivæ, non sunt talia. ergo non possunt generare actum supernaturalem quoad substantiam. ℟. Loquendo de potentia absoluta, ostendi falsitatem majoris propositionis Contr. 1. proœm. §. 3. & ostendam magis §. sequente. Pro nunc retorqueo argumentum. Veracitas Dei in loquendo & cognoscendo potest seorsim attingi tam per actum naturalem quàm per actum supernaturalem, vt docent Recentiores: & cùm vterque actus fiat beneficio specierum naturalium, non potest vnus ab altero differre in modo tendendi, cùm vterque sit affirmativus, vterque immediatus, vterque ejusdem claritatis, hoc est discernens Veracitatem Dei ab omni alia Veracitate. 2. Motiva credibilitatis summæ, vt ijdem fatentur, non semper consistunt in aliquo supernaturali quoad substantiam, vt ostendimus suprà cap. 1. Contr. 7. n. 30. In forma respondeo distinguendo majorem: debet esse supernaturale quoad modum, transeat, quoad substantiam subdistinguo, illud quod immediatè attingitur in se, nego; quod attingitur in suo effectu indicativo illius, & ad hoc ordinato, vt indicaret talem caussam, transeat iterum major, & eodem modo distinctâ minore, negatur Conseq.

§. VI.

Dubium incidens, an repugnet Actum supernaturalem versari circa Objectum Naturale.

233. DICO, non solùm non repugnare, sed de facto tales exstitisse. Secundum membrum est S. Thomæ 3. p. q. 11. ar. 1. in C. & ad 2. & art. 4. in C. Vbi agens S. Thomas de Scientia per se infusa Christi, docet imprimis, quòd anima Christi per hanc Scientiam non solùm cognoverit omnia illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, & alia supernaturalia pertinentia sive ad donum Sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcunque donum Spiritûs S. sed etiam NB. quòd cognoverit, quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem hominis intellectûs agentis: subsumo: atqui hæc sunt objecta naturalia, & cognoscibilia per actus naturales; & actus Scientiæ infusæ sunt quoad substantiam supernaturales: Ergo &c. Deinde ad 2. ait: quòd anima Christi per Scientiam infusam potuerit cognoscere substantias separatas per modum NB. quo cognoscit anima separata. Vltimo loco docet in terminis, quòd hæc Scientia infusa fuerit quidem perfectior & excellentior Scientiâ naturali Angelorum, si consideretur secundùm caussam influentem, quia nempe fit quoad substantiam supernaturalis, de cætero fuisse inferiorem Scientiâ naturali Angelorum NB. quantùm ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ. Ergo secundùm S. Thomam supernaturalitas potest desumi vnicè à principio. Ex Scholasticis tenent hanc sententiam imprimis P. Suarez, qui lib. 2. de gratia c. 11. n. 30. apertè docetur non repugnare actus naturales & supernaturales ferri ad eadem objecta & motiva. Præterea eandem sententiam teste Lugone tenent post plures antiquos non pauci ex Recentioribus, qui apud ipsum citati videri possunt *disp. 9. de fide*; ij sunt Conink, Granadus, Molina, & alij apud Turrianum, quibus postea accesserunt Valentinus, Herize, Ripalda, de Quiros, Arriaga, Oviedo &c. Probavi Conclusionem Contr. 1. proœmiali, vbi ostendi, quòd in sententia contraria primus actus supernaturalis, qui communiter & de via ordinaria habetur in ordine ad eliciendum actum fidei, non esset donum indebitum, distinctum à dono prædicationis & miraculorum, si non posset circa illud ipsum objectum (quod tantùm est supernaturale quoad modum) dari actus naturalis: nec est hîc de novo repetendum.

234. Ex ibidem dictis redditur ratio à priori. Nam actui versanti circa objectum intrinsicè naturale, potest inesse primum prædicamentum Supernaturalitatis, ibidem expositum; nempe ordinatio ad finem vltimum supernaturalem. Hanc vnicam rationem assignat S. Thomas 1. 2. *q. 63. a. 3. in. C.* quare homini debeant infundi virtutes morales, & non tantùm Theologicæ, hic formaliter

formalibus verbis. *Respondeo dicendum, quòd oportet effectus esse suis caussis & principiis proportionatos: omnes autem Virtutes tam intellectuales quàm morales, quæ ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principiis in nobis præexistentibus, loco quorum conferuntur nobis à Deo virtutes Theologicæ, quibus NB. ordinamur ad finem supernaturalem. Vnde oportet, quòd his etiam virtutibus Theologicis proportionaliter respondeant alij habitus divinitus caussati in nobis, qui sic se habeant ad virtutes Theologicas, sicut se habent virtutes morales & intellectuales ad principia naturalia virtutum.* Si S. Thomas fuisset in sententia contraria, debuisset rationem hanc expeditam reddere: *Quia objecta virtutum supernaturalium sunt supernaturalia, inattingibilia actu naturali.* Legantur insuper responsiones ad tria argumenta in contrarium, ex quibus manifestum est, S. Thomam vnicè desumpsisse necessitatem hanc virtutum infusarum ab eo, quòd homo sit ordinatus ad finem supernaturalem. Et hæc procedunt de potentia absoluta: nam quòd defacto differant actus naturales à supernaturalibus, non tantùm per ordinem intrinsecum physicum ad fines diversos, sed etiam per ordinem intrinsecum intentionalem ad fines diversos, tanquam ad objecta, defendit bene Lugo; & hinc desumunt differentiam specificam physicam, vt etiam docet S. Thomas, locis à Suarez & Lugone allegatis. Et hoc solo sensu dixit Suarez docere omnes modernos qui hoc punctum attigerunt; & præterea bene notandum est, aliud esse, quòd actus naturalis possit attingere motivum supernaturale, & aliud, quòd actus supernaturalis possit attingere objectum motivum merè naturale: de priore solo fuit sollicitus Suarez & alij Theologi cum illo, ne scilicet præjudicarent necessitati Gratiæ, si omnia possent præstari per actus naturales: de secundo nos in præsenti disputamus, & ad nostrum intentum sufficit quòd actus supernaturalis possit versari circa objectum naturale, quod tantum abest, vt præjudicet necessitati Gratiæ, vt potiùs contraria sententia præjudicare videatur, vt loco superiùs citato ostendere conatus sum.

235. Hinc manet solutum præcipuum argumentum adversariorum, desumptum ex Suarezio, & pridem explosum à Card. de Lugo *loco cit. n.* 25. dicente, quòd necessitas Gratiæ non probetur ex motivo vel objecto, sed ex proportione quam hi actus habent cum Beatitudine supernaturali &c.

236. Præterea nihil est certius, quàm quòd potentia superioris ordinis possit versari circa objectum proprium potentiæ ordinis inferioris: sic defacto intellectus cognoscit objecta sensuum propria: nihil ergo est contra Excellentiam habituum infusorum, si influant in actus quoad modum tendendi & objectum similes actibus naturalibus absolutè possibilibus. Non vacat his ampliùs immorari, quæ apud AA. citatos videri possunt.

237. Dissimulare tamen nolo, gratiosam quorundam RR. allegationem auctoritatis S. Augustini, dicentis, quòd Gratia Divina faciat arcanum patens, & amarum dulce. atqui, si actus fidei posset versari circa objectum intrinsecè naturale, hoc non faceret Gratia fidei. Ergo tollitur necessitas Gratiæ. Quæro ex istis Recentioribus, quale arcanum patens & amarum dulce faciat illa Gratia, quàm habet rusticus ad volendum credere, quando parochus falsum dicit? Illud ipsum facit Gratia Fidei in nostra sententia, & adhuc aliquid ampliùs, nempe revelationem Dei præteritam, quæ defacto omninò lateret, si non daretur habitus fidei, vel auxilium fidei.

238. Itaque vt verbo rem absolvam. Primarius quidem finis Habituum supernaturalium, vt instituerentur, fuit, vt possent elici actus supernaturales circa objecta naturaliter incognoscibilia, qualis actus est Visio Dei, & alij recensiti â Card. de Lugo. nihilominus secundariò & per concomitantiam habent illi ipsi habitus virtutem eliciendi actus circa objecta immediata etiam naturaliter cognoscibilia. sicut potentia Intellectiva est primariò instituta ad cognoscenda objecta spiritualia, nihilominus potest cognoscere etiam objecta potentiarum materialium. Aliud exemplum affert P. Esparza in Q.Q. de Baptismo, vbi vt defendat, Beatissimam Virginem, non obstante, quòd careret peccato originali, baptizari potuisse, cùm tamen Baptismus sit institutus ad delendum peccatum originale, responder, hoc ideo fieri potuisse, quia licet Baptismus fuerit institutus ad delendum peccatum originale, ita quidem vt si hoc non fuisset, nec Baptismus institutus fuisset, hinc tamen non sequitur, ita institutum fuisse, vt nemini nisi habenti peccatum originale conferri posset. Pari modo possumus de institutione habituum supernaturalium discurrere.

239. Lubet hîc annectere aliud argumentum, quo efficaciter satis probari potest, eandem divinam revelationem posse esse motivum tam respectu actûs fidei naturalis quàm supernaturalis.

Potest Deus revelare alicujus reprobationem: talis homo per talem revelationem absolveretur à statu viatoris, prout ex professo probat P. Esparza *q.* 35. *ab art.* 2. & ratio illius est, quia talis revelatio & fides illi exhibita, esset essentialiter connexa cum pœna damni, seu carentia Visionis Beatificæ perpetua: ergo jam tunc inciperet illa pœna, quæ non infligitur viatori. Hoc ex P. Esparza pro nunc supposito (de cujus veritate non laboro) sic argumentor. Fidei actus quo talis homo crederet, non esset meritorius, (vt docet idem auctor) nec de condigno nec de congruo: ergo nec esset actus supernaturalis: & præterea in termino damnationis, vtique non constitueretur formaliter actus Virtutis Theologicæ exigens procedere ab Habitu infuso, qui non manet in illo termino: ergo ille homo credet per actum naturalem: atqui illa revelatio est secundùm se potens

se potens terminare actum supernaturalem, quia est essentialiter locutio Dei vt auctoris supernaturalis: ergo debet posse saltem ab alio homine, cui fieret talis revelatio de altero homine, per eadem signa credibilitatis, debet, inquam, posse credi actu supernaturali, procedente ab habitu Virtutis Theologicæ. Ergo potest idem objectum formale esse respectu actûs supernaturalis & naturalis, quod erat probandum.

CAPVT III.

DE CERTITVDINE ET FIRMITATE ACTVS FIDEI.

CONTROVERSIA I.

Quid sit Formido.

§. PRIMVS.

Referuntur aliorum Sententiæ.

240. DVos invenio auctores qui præ cæteris accuratiùs investigârunt naturam Certitudinis & Formidinis, nec tamen inter se convenerunt. Itaque omissis alijs

Prima explicatio Certitudinis est Card. de Lugo, qui ad Certitudinem Actûs Tres Conditiones requirit. Prima Conditio est, vt actus sit necessariò connexus cum Veritate Objecti, ita vt nec divinitus existere possit, quin sit verus. Secunda Conditio: vt firmissimè adhæreat objecto: hanc autem firmissimam adhæsionem vult esse intrinsecam actui intellectûs, adeoque non provenire formaliter ab imperio Voluntatis nunquam dissentiendi, sed consistere in certo modo tendendi, per quem ostendit intellectus, se paratum esse ad omnes alias probabilitates relinquendas, quæ huic Veritati repugnare videntur. Consentit Card. Pallavicinus, explicans illam tendentiam n. 118. & 119. docénsque, eam consistere in hoc, quòd intellectus judicet rem ita se habere, & motiva quibus ad assentiendum inducitur, esse omnino inseparabilia à Veritate objecti, adeoque non posse se aliter habere, & hoc quidem ita judicet, vt determinetur ad non formidandum de hac ipsa inseparabilitate, si eâ reflexè consideretur, neque de inseparabilitate inseparabilitatis, & sic in infinitum: vnde infert, talem actum quantumvis obscurum, excludere per intrinsecam tendentiam formidinem, quæ solet exprimi his verbis: *Fortè se res aliter habet.*

Tertia Conditio quam requirit Card. de Lugo, est, vt objectum ita appareat, vt judicari reflexè & evidenter possit (licet non sit necessarium vt actu ita judicetur) illius repugnantia cum prudenti dubitatione de illius Veritate. In hac conditione videtur Card. de Lugo tacitè fateri, quòd saltem imprudens formido seu dubitatio possit conjungi cum actu certo.

241. Secunda Explicatio est P. Ripaldæ. Docet ergo primò, Certitudinem in genere, prout abstrahit à Certitudine Evidentiæ & Inevidentiæ, adæquatè consistere in hoc, quòd actus habeat intrinsecam connexionem necessariam cum objecto. Docet 2. Certitudinem Evidentiæ, vltra connexionem intrinsecam actûs cum objecto, importare repugnantiam cum Actuali Formidine, in quâ repugnantia consistit intrinseca adhæsio intellectûs. Docet 3. Certitudinem Inevidentiæ nunquam posse consistere in tali intrinseca tendentia, excludente omnem formidinem. Docet 4. Certitudinem Inevidentiæ (qualis inest actui Fidei supernaturalis) dicere repugnantiam radicalem cum formidine, nempe quia actus est talis essentiæ, vt illi repugnet esse falsum, adeoque qui reflexè eum intueretur, agnosceret etiam hanc repugnantiam cum falsitate propter suam supernaturalitatem, & sic non posset formidare; quam tamen repugnantiam intrinsecam non habet vllus actus naturalis obscurus, quantumvis versetur circa objectum necessarium. Docet 5. Actum talem supernaturalem & obscurum, non repugnare physicè cum formidine; repugnare tamen moraliter, seu per denominationem extrinsecam ab Imperio voluntatis. Hæc Ripalda.

242. Denique conantur hi duo Auctores, Lugo & Ripalda, declarare, quid in re ipsa sit formido, quam significare solemus per hæc verba: *Fortè se res aliter habet, quàm suadent hæc motiva:* Seu quod idem est: *Fortasse hæc motiva fallunt.* Quæ formido potest stare cum actu probabili, & quæ per certitudinem est excludenda.

Itaque

Itaque Card. de Lugo, consentiente Ripaldà, rectè ostendit, formidinem non esse Judicium negativum, quo negetur ipsum objectum: hoc enim si esset, sequeretur, quòd quando formido conjungitur actui opinativo, judicaret intellectus simul contradictoria, affirmaret simul & negaret idem. Deinde ostendit, non esse Judicium, quo affirmetur potentia physica antecedens ad oppositum; alioquin qui videret Petrum currere, posset formidare dicendo: fortè Petrus non currit: quia videt dari potentiam physicam ad oppositum: & econtra, qui haberet opinionem, quòd v.g. in divinis Spiratio activa sit communis & virtualiter distincta à Personalitatibus, formidans tamen, diceret: dari potentiam physicam ad oppositum, quod est absurdum. Concludit ergo tandem Lugo, per illas voces significativas Formidinis, significari & affirmari solùm potentiam quandam quasi Logicam ad oppositum, nempe, motiva ad illum assensum probabilem non esse tanti pondetis, vt non possit sub alijs motivis æqualibus latere aliquando periculum deceptionis, adeoque motiva non dare securitatem contra deceptionem. Vno verbo, actus opinativus formidans, juxta hanc opinionem, ita exprimi posset: *Hoc ita se habet propter hæc motiva; quamvis ea talia sint, vt illa, vel illis æqualia, possint non esse conjuncta cum illo objecto ad quod movent.*

243. P. Ripalda docet, Formidinem non judicare directè de objecto, nec de motivo, sed de ipso assensu, quo nobis persuademus objectum, cùm objectum obscurum sit intellectui, & veritas assensûs ignota. Judicat ergo formido, assensum ex modo tendendi in objectum posse falsitati subesse.

§. II.

Quid sit Formido, & quomodo subjaceat Voluntati.

244. DICO 1. Formidinem formalem & actualem non consistere adæquatè in Judicio illo, in quo vult Lugo & Ripalda consistere. Probatur 1. ad hominem contra Lugonem & Ripaldam: quia hi ambo fatentur, Lugo quidem n. 17. Ripalda verò n. 16. & 18. & alibi passim, Voluntatem posse suo imperio cohibere formidinem actualem: & hoc etiam alij DD. communiter omnes supponunt, vt bene dixit ille P. Hispanus, ex quo suprà Discerniculum P. Perez rejeci. & ne hoc gratis dixisse videamur, adducam vnum & alterum Testimonium. Sotus *lib. 3. de Nat. & Grat. c. 10.* ait, hoc non esse dubium, & de hoc dubitare esse puerilem errorem; & addit: *quin immò hæretici omnes suorum errorum, quos Catholicas existimant Veritates, tantam habent certitudinem, quàm nos articulorum fidei.* Molina 1. *p. q.* 1. *a.* 5. dicit, ejusmodi certitudine, quæ se tenet ex parte subjecti, posse hæreticum adhærere interdum certius, hoc est, firmiùs errori, quàm adhæreat Catholicus Veritati. Idem habet Bannez 1. *p. q.* 1. *a.* 5. Medina 1. *p. q.* 109. *a.* 1. *dub. vlt.* Vega *lib. 6. in Trid. c.* 13. Hoc supposito sic argumentor. Voluntas potest, stante assensu probabili, cohibere Formidinem tunc, quando posset Formido existere: atqui Voluntas non potest cohibere illud Judicium quod ponit Lugo & Ripalda, nam illud Judicium est evidens, vt fatentur isti AA. fundatur enim in experientia, quòd non necessitetur intellectus ab illis motivis ad assensum, adeoque quòd secundùm suam apparentiam possint fallere: atqui Intellectus est potentia necessaria, ita vt excitatis speciebus non possit cohibere actum evidentem: ergo &c.

245. Probo 2. iterum ad hominem. Vterque auctor concedit, posse circa idem objectum Materiale simul stare actum Evidentem & Opinativum, ita tamen vt non adsit actualis formido, quia impossibile est, vt simul dicam per actum Evidentem: *hoc non potest se aliter habere:* &; *fortassis aliter se habet:* atqui in tali casu posset optimè consistere judicium evidens Lugonis & Ripaldæ; scilicet: quòd vi motivorum probabilium, & quoad eorundem apparentiam, res se posset aliter habere: hoc enim Judicium non contradicit illi alteri. *Res non potest se aliter habere*, nempe propter motivum scientificum: ergo hæc duo non sunt idem: *Fortè se res aliter habet:* &; *hæc motiva, seu hic assensus potest fallere.* atqui illud prius est Formido formalis & actualis: ergo Formido non est idem cum Judicio horum Auctorum.

246. Probo 3. ab experientia & exemplis, quibus optimè declaratur sensus verborum quibus omnes vtimur. Plurimis objectis assentimur, & dicimus nos assentiri sine formidine, & tamen evidenter judicamus, motiva quibus inducimur, esse fallibilia, & quantùm est ex ratione motivorum, prout nobis per apprehensionem suasivam apparent, posse se aliter habere: ergo communis sensus agnoscit aliam Formidinem actualem, quàm illam intellectualem Lugonis & Ripaldæ. Antecedens patet exemplo superiùs ex S. Augustino allato: quis nostrum dicet, se prudenter formidare, an sit Filius illius quem pro patre suo habet? quis prudenter formidat, an sit Baptizatus? & tamen motiva quibus communiter inducimur, scimus evidenter esse ex se fallibilia, & non rarò fallere.

247. Confirmatur 1. Si maritus diceret Vxori suæ: censeo, te esse mihi fidelem & non adulteram, & ideo etiam credo filios ex te natos esse meos, quamvis motiva quibus inducor, talia sint, quæ de suis vxoribus etiam alij mariti habent, & tamen quandoque falluntur. Profectò si vxor prudens sit, non potest his verbis offendi. Quodsi maritus his verbis vteretur. *Non sine formidine credo, vtrum filij, quos genuisti, sint me patre geniti:* quis dubitet, honestam & prudentem Vxorem esse ægrè laturam? ergo signum est, nos nomine Formidinis aliud concipere & significare, quàm Judicium illud Lugonis, illúdque non significari regulariter per Formidinem, aut per

hæc verba : *Fortassis aliter se habet. Fortassis his motivis decipior &c.*

Confirmo 2. Si tu mihi promitteres aliquid, & ego dicerem, *fortasse non facies quod promittis* · ille ad auferendam à me formidinem, posset subjungere : *ne formides : jubeo te securum esse.* quibus verbis vtique non vellet me hortari ad deponendum hoc Judicium, quòd scilicet motivum credibilitatis sit fallibile, nempe promittentis auctoritas : hoc enim non posset exigere, cùm omnis homo sit mendax & mutabilis. ergo vult me hortari ad alium actum qui sit in mea potestate : atqui vult à me deponi Formidinem : ergo Formido est alius actus quàm illud Judicium.

248. Confirmatur 3. Omnium DD. consensu alia Formido est prudens, alia imprudens, alia major, alia minor. Jam sic. Quando habeo judicium de fallibilitate motivorum, quæ reverâ fallibilia sunt, & merentur talia judicari, tale judicium vtique non est imprudens, quia est judicium verum & evidens: atqui possum aliquando imprudenter formidare, etiam circa motiva fallibilia, vt fatentur omnes : v. g. quando rusticus formidaret de veritate dictorum à suo parocho, vel quando formidarem de valore mei Baptismi &c. Deinde illud judicium non suscipit magìs & minùs sicut suscipit formido : ergo non potest formido consistere in tali Judicio.

249. DICO 2. Per illa verba *Fortassis res aliter se habet quàm ego judico* ; non semper velle nos significare separabilitatem motivorum ab objecto materiali. Probatur, & priùs suppono, quòd obscuritas sola motivorum non reddat motiva separabilia, sed quòd quædam motiva rectè judicentur esse inseparabilia, quamvis sint obscura ; talia sunt motiva credibilitatis nostræ fidei, suprà relata, quæ non sunt evidenter connexa cum mysterio ad quod credendum movent, alioquin fides evaderet evidens, sed sunt obscura quoad istam connexionem ; & tamen judicantur & dicuntur rectè esse inseparabilia, hoc est, dicuntur mereri assensum, quo judicemus ex imperio voluntatis, quòd non possint existere, quin sint connexa cum tali mysterio, seu, cum revelatione de tali mysterio. Probo jam, quòd formido non semper consistat in Judicio de separabilitate motivorum ab objecto. Dum habemus judicium, hæc motiva obscura non posse existere quin sint connexa cum revelatione Dei, possumus imprudenter formidare, & dicere : fortassis autem non sunt essentialiter & indispensabiliter connexa, sicut ego judico esse connexa. In isto ergo casu non haberem judicium directum, quo dicerem : hæc motiva possunt non esse connexa cum revelatione Dei, sicut potest non esse connexa locutio parochi ; judico enim directè contradictorium, scilicet, quòd sint essentialiter connexa, & in hoc sensu inseparabilia, qualis non est locutio parochi. ergo si in isto casu potest stare formido expressa per illa verba : *fortassis autem non sunt essentialiter connexa sicut ego judico* : formido non semper significat judicium de separabilitate motivorum. Probo jam assumptum, nempe quòd in tali casu possit stare formido, sicut imprudens paulò antè descripta. Experientia quotidiana docet, nos in credendis difficilibus mysterijs, pulsari sæpè tentationibus, & involuntarijs apprehensionibus impelli ad formidandum etiam tunc, quando memores sumus motivorum credibilitatis, &, vt bene suprà advertit Rusticior Hispanus, monemur ad resistendum, & ut conamur resistere, qui conatus est manifestum signum, nos bene agnoscere motiva credibilitatis, quia agnoscimus obligationem illis adhærendi, idem conatus est etiam evidens signum, quod possemus tentationi cedere, & formidare voluntariè, an non fortassis motiva sint separabilia à objecto credendo, adeoque, an non fortassis fallamur dum judicamus non esse separabilia: ergo à primo ad vltimum, formido in tali casu non consisteret in Judicio de separabilitate motivorum.

250. Ratio à priori est, quia ad formidandum temerè & imprudenter de connexione necessaria motivorum cum objecto materiali, non est necesse, vt habeam rationes evidentes aut probabiles de absoluta fallibilitate motivorum, sicut habeo, quòd homo singularis & privatus possit mentiri, sed sufficit, quòd possim suspicari, ne non fortassis lateat aliquid, ex cujus ignoratione inducar ad judicandum, quòd motiva sint inseparabilia ab objecto materiali. Nisi enim hoc sufficeret, nunquam daretur temeraria suspicio. Jam verò ad talem suspicionem imprudenter & voluntariam, sufficit semper obscuritas objecti & actûs quo illi assentimur, & ideo censeo, cum omni actu obscuro posse ex natura rei consistere formidinem saltem imprudentem, vt infrà magis declarabitur : ergo Formido non semper est judicium evidens vel probabile de fallibilitate motivorum.

251. DICO 3. Formido actualis & formalis significata per verba: *Fortassis res aliter se habet quàm ego judico se habere*, consistit regulariter in Judicio reflexo, quo judicamus, nos assentiendo rei obscuræ versari in periculo propinquo errandi. Hoc judicium aliquando est evidens & necessarium, & tunc formido non est libera, sed necessaria: v. g. si credam aliquid homini, quem scio esse in simili materia sæpius mentitum, in tali enim casu dum credo, reflexè evidenter judico, me credendo exponi periculo probabili de propinquo errandi, nec possem vllo voluntario imperio cohibere formidinem, & dicere mihi ipsi Sum securus quòd non errem. Aliquando autem est hoc judicium Voluntarium; & hoc interum potest esse vel prudens vel imprudens, sicut Theologi docent, Suspiciones aliquas esse prudentes, aliquas temerarias. Judicium prudens de periculo propinquo errandi erit, si quis aliquid credat, qui quidem communiter verax est, et tamen probabile, aut saltem suspicabile, quod

quandoque

quandoque mentiatur: tunc enim non est evidens, esse periculum propinquum errandi, est tamen evidenter probabile: ergo possum liberè, propter hanc probabilitatem, judicare, me illi credendo versari in periculo propinquo errandi, nec sic judicando agam imprudenter aut temere. Imprudens autem erit tale Judicium & formido, quando nulla prorsus occurrunt motiva probabilia in contrarium, sed fortasse levissima quædam argumenta, quæ moraliter vix vnquam aut rarissimè sunt connexa cum veritate objecti quod suadent. Cùm ergo possit homo per imprudentiam aliquando se à tam levibus argumentis sinere moveri, ad omnino negandam fidem alteri, vtique poterit etiam per imprudentiam moveri ad judicandum, se dum illi homini credit, versari in periculo propinquo errandi. v. g. Rusticus non habet vllum rationabile fundamentum judicandi aut suspicandi, quòd parochus suus in rebus fidei, vtpote gravissimis, & quas debet publicè proponere, mentiatur, aut vnquam sit mentitus, quia auctoritas parochi tanta est apud Rusticum, quanta est auctoritas S. Ambrosij apud hominem doctum, vt bene dixit Hispanus sæpè jam laudatus. Quia tamen possunt rustico occurrere levicula quædam argumenta, propter quæ posset omnino nolle assentiri parocho, v. g. quia proponit res captu difficiles, quia aliquis malè affectus parocho dixit, eum esse indoctum &c. ideo à fortiori posset rusticus per imprudentiam judicare, etiam dum credit parocho, se credendo fortassis errare, hoc est, versari in periculo propinquo errandi. Cùm ergo hoc reflexum judicium sit voluntarium, sicut omnes temerariæ suspiciones, ideo potest à voluntate cohiberi, & tunc potest rusticus dicere, se quietum & securum esse, dum credit parocho, & nihil de veritate formidare, sicut dixit S. Augustinus nos nihil formidare, quòd nati simus ex his parentibus.

252. Favet etiam huic expositioni formidinis Etymologia nominis. Nam formido est quidam timor & fuga à malo imminente. Porrò Judicium de periculo propinquo errandi, determinat appetitum ad timorem & fugam mali quod inest errori, & ideo vocatur formido.

CONTROVERSIA II.

Vtrum omnis actus Fidei infusæ excludat Formidinem per suum proprium & intrinsecum tendendi modum.

253. PRimus, quod ego sciam, hoc asseruit Card. de Lugo, adeo quidem, vt concesserit, posse talem modum tendendi etiam tunc imperari à Voluntate, quando superat merita motivorum; vnde dixit quòd rusticus, etiam quando parochus falsum articulum proponit, possit sibi imperare assensum, quo dicat: Propter authoritatem parochi, & Dei per ipsum loquentis credo hunc articulum esse verum, & non posse se rem aliter habere. Hæc sententia statim fuit ab alijs rejecta cum Card. Pallav. & meritò. quia sicut non potest Voluntas imperare assensum, quando nullum penitus adest motivum assentiendi, ita non potest imperare assensum, quòd res non possit se aliter habere, si nulla adsunt motiva quæ hoc ipsum suadent, quòd vi illorum non possit se res aliter habere: sed auctoritas parochi non est tale motivum: ergo vi illius non potest rusticus imperare talem assensum.

Hinc Card. Pallavicinus, cùm ex vna parte vellet sequi Lugonem, quòd omnis actus fidei infusæ deberet per intrinsecum prædicatum excludere formidinem, dicendo, quòd vi motivorum non posset se res aliter habere, ex alia parte non inveniret tale motivum externum respectu rustici, invenit illud intra rusticum, nempe discerniculum jam suprà rejectum. Alij deinde RR. addiderunt, quòd hoc sit ita proprium Fidei, vt nulli actui naturali obscuro possit talis modus tendendi convenire, quia nimirum nullus actus naturalis obscurus habet talia motiva, quæ possit judicare esse essentialiter connexa cum veritate objecti quod suadent.

254. DICO. Quantumvis motiva credibilitatis mereantur judicari per fidem esse essentialiter & necessariò connexa cum locutione Dei, & defacto per fidem talia judicentur, nihilominus talis actus fidei ex suo modo tendendi est conjungibilis cum formidine, seu cum judicio significato per hæc verba: *fortassis non sunt essentialiter connexa.* Vnde consequens est, quòd fidei firmitas vltima & completa, hoc est exclusiva omnis formidinis, semper proveniat formaliter ab imperio voluntatis, quo illud Judicium excluditur, & statuitur constans adhæsio. Conclusionem hanc non disputârunt DD. ex professo, eam tamen videntur supponere, quando vltra certitudinem objectivam, requirunt certitudinem & firmitatem adhæsivam: item quando admittunt, quòd cum actu fidei ejúsque merito possit stare indeliberata formido & dubitatio. Ita imprimis supponit S. Thomas q. 4. art. 8. ad 1. & egregius illius Interpres Petrus de Aragon in c. art. §. Hoc tamen non obstante. & §. *Secundò dico.* & deinceps sæpius. Eandem supponit P. Antonius Perez, quatenus asserit, esse miraculum, posse aliquem assentiri rei obscuræ sine formidine: atqui per actum fidei assentimur rei obscuræ: ergo est miraculum quòd cum tali actu non conjungatur formido: ergo secluso miraculo connaturaliter posset conjungi, imò secundùm hunc auctorem necessariò conjungeretur. Eandem Sententiam debet per consequentiam doctrinæ admittere Card. Pallavicinus, qui c. 6. n. 122. habet hæc formalia verba. *Potest tamen ex errore voluntario, aliquando culpabili, aliquando inculpabili contingere, vt aliquid appareat nobis credibile super omnia, quamvis revera non sit: atque adeo quòd possimus super omnia credere aliquid distinctum ab articulis fidei. Qui*

modus credendi circa talia objecta semper continet errorem vel formalem vel radicalem: disponit enim ad credendum, quòd non possit aliter se habere id, quod reipsà potest se aliter habere. Ergo etiamsi motiva fidei sint in se essentialiter credibilia, quòd non possint non esse connexa cum locutione Dei, possum tamen semper cum tali assensu habere formidinem, an non ex inculpabili errore præcedente proveniat, quòd hìc & nunc hæc motiva talia appareant. Eandem sententiam supponit P. Tannerus, *disp. 1. de fide q. 2. dub. 5. n. 127. & 128.* explicans per exemplum S. Augustini de fide, hos esse nostros parentes. Ex professo eam propugnat P. Ripalda, *disp. 11. s. 2. à n. 16.* cujus argumentis non immoror, scio enim, quì possint eludi.

255. Probo ergo Conclusionem 1. à pari: Sicuti dum assentior Petro aliquid testificanti, & credo illum verum dicere, possum simul habere formidinem expressam per hæc verba. *Fortassis tamen sic credendo fallor.* ita dum judico, hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Dei: possum habere formidinem, significatam per hæc verba: *Fortassis tamen ita judicando fallor:* sed sic conjungi potest formido cum judicio & fide, qua credo hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Dei: ergo vera est Conclusio. Major probatur. Non est vlla major repugnantia inter duo posteriora judicia, quàm inter duo priora: ergo si priora possunt conjungi, poterunt etiâ posteriora. Antecedens probatur. Repugnantia deberet esse, quòd illa duo judicia sint contradictoria. Sed nullo modo sunt contradictoria. ergo nulla est repugnantia. Majorem concedunt adversarij. Minor probatur. Contradictoria judicia hæc essent: *Hæc motiva sunt essentialiter connexa cum locutione Dei. Hæc motiva non sunt essentialiter connexa cum locutione Dei.* Sed hoc secundum non est illud Judicium formidolosum: *Fortassis fallor judicando, quòd sint essentialer connexa:* ergo hoc secundum judicium non est contradictorium illi priori. Major est clara. Minor probatur. Hæc non sunt contradictoria. *Petrus verum dicit, quamvis ita judicando fortassis fallar:* alioquin non possent stare simul, vt tamen posse fatentur adversarij. sunt autem contradictoria hæc: *Petrus verum dicit: Petrus non dicit verum.* ergo sicut hoc secundum, *Petrus non dicit verum:* non est hoc judicium: *Fortassis fallor judicando quòd Petrus verum dicat:* ita nec hæc duo erunt idem: *Hæc motiva non sunt essentialiter connexa. Fortassis fallor judicando esse connexa essentialiter.*

256. Confirmo argumentum duobus exemplis simillimis, & ab adversarijs concessis. Gratia sanctificans est essentialiter incompossibilis cum peccato Mortali, & essentialiter connexa cum affectu amicabili Dei. Item actus supernaturalis fidei est essentialiter verus. Jam sic. Judicium quo quis judicat Gratiam esse essentialiter connexam cum affectu amicabili, & actum fidei esse essentialiter connexum cum objecto, non minùs sunt judicia de essentia Gratiæ & actus fidei, quàm est judicium quo judico, hæc motiva esse essentialiter connexa cum locutione Dei: sed illa judicia, licet habeant intrinsecam repugnantiam cum judicio contradictorio: *Gratia non est essentialiter connexa cum affectu amicabili, actus fidei non est essentialiter connexus cum objecto:* Non habent tamen intrinsecam repugnantiam cum formidine, seu cum judicio formidoloso: *fortassis fallor in meo judicio.* (sunt enim actus opinativi) ergo pariter, licet judicium hoc: *hæc motiva sunt essentialiter locutio Dei:* habeat intrinsecam repugnantiam cum hoc judicio contradictorio: *non sunt essentialiter locutio Dei:* Non habet tamen repugnantiam intrinsecam cum hoc judicio: *fortassis fallor judicando, quòd sint essentialiter locutio Dei.* Ego nullam invenio disparitatem.

Confirmatur iterum alio exemplo jam superiùs etiam adducto. Motiva suadentia Immaculatam Conceptionem B. Virginis, merentur judicari esse talia, quæ non possent à Deo permitti, nisi essent connexa cum objecto: neque hoc adversarij audent negare, cùm fateantur, quòd illa motiva possent sufficere Ecclesiæ ad definiendam Immaculatam conceptionem. atqui cum hoc ipso judicio posset stare judicium formidolosum mixtum, quia necdum est de fide, sed sub opinione, motiva autem opinionis admittunt cum affectu formidinem. Ergo &c.

257. Probatur nunc Conclusio à priori. Obscuritas motivorum in hoc consistit, quòd non habeant vim extorquendi consensum, & necessitandi intellectum: ergo potest assensus conjungi cum judicio formidoloso reflexo. Probo consequentiam. Qui potest talibus motivis omnino negare assensum, imò ob leves rationes dissentire, potest à fortiori formidare, vtrum non fallatur in assensu: minùs enim resistit motivis, de plus illis tribuit, qui cum formidine assentitur, quàm qui nullum præbet assensum, aut omnino judicat contrarium. Sed illud prius fieri potest, etiam respectu motivorum quorumcumque fidei. ergo à fortiori potest fieri posterius. Vide meritò dixit P. Ripalda, quòd nisi hoc dicatur, non possit explicari differentia inter actum evidentem & obscurum in genere, Quid enim est in genere *objectum esse obscurum*, nisi, quòd quamvis substat tali apprehensioni suasivæ, non habeat vim vincendi intellectum, nisi sponte cedere velit? hoc ipso autem jam fatetur intellectus, se nescire, vtrum objecti vis movendi non possit vincere per motiva contraria quæ se latent; si enim hoc sciret, haberet evidentiam de veritate motivorum. fatendo autem, se nescire vtrum non possint vinci, fatetur in sua potestate esse, vel omnino non assentiri, vel assentiendo suspicari periculum errandi: quidquid enim nescimus an sit, possimus saltem imprudenter suspicari, vtrum forsitan sit, & nos lateat, alioquin quomodo probabunt nobis adversarij, quòd possim imprudenter suspicari, vtrum aliquando Cicero fuerit Romæ (vt ipse dicunt

tentur fieri posse) nisi vnicè: quia nescio, vtrum consensus tot Scriptorum non fallat aut fallere non possit?

258. Concludimus ergo 1. Formidinem non excludi ab actu fidei vltimò & completè per ipsum tendendi modum, quatenus asserit motiva credibilitatis non posse separari à veritate objecti, & hoc habere ex essentia sua, quia vt probatum est, de hoc ipso possemus reflexè formidare, & sæpè indeliberate formidamus, vt fatetur Suarez, & communiter omnes, sed vltimò excludi per Imperium voluntatis, imperantis assensum constantem & cohibentem omnem imprudentem formidinem: *Constantem* inquam, hoc est, sub hac implicita, & essentialiter imbibitâ ac inexistente conditione. *Quamdiu (sive per possibile, sive per impossibile) motiva credibilitatis non enervabuntur per contraria.* Sicuti in formula Juramenti, quo Professores Ingolstadiani jurant, se velle Immaculatam Conceptionem B. V. piè tenere, apponitur explicitè hæc conditio: *Quamdiu à sede Apostolica contrarium definitum non fuerit.* cùm tamen ijdem firmissimè teneant, (non dico fide divinâ sed tamen absque formidine,) fieri non posse, vt definiatur contrarium.

259. Concludimus 2. Ad Firmitatem Fidei non requiri, vt motiva credibilitatis judicentur aut sint talia, quæ non possint non esse connexa cum revelatione Dei, sed satis esse, si sint talia, vt non possit de illis prudenter formidari, vtrum de facto non sint connexa, & ideo sufficere posse rustico auctoritatem parochi, cum absentia rationabilium motivorum in contrarium. Quæ omnia per hactenus dicta probata sunt.

260. Nihilominus ex abundanti ostendam adhuc alio argumento, posse dari actum supernaturalem fidei, qui non innitatur motivis credibilitatis essentialiter connexis cum revelatione Divina, seu quod idem est, ostendam, posse dari actum fidei supernaturalem, & meritorium, qui tamen non attingat essentialiter & immediatè aliquid, de cujus essentia sit esse locutionem divinam, sed sufficere, quòd per denominationem extrinsecam sit locutio Dei. Sic ergo argumentabar contra Recentiores assertores Discerniculi necessarij ad omnem fidei actum. Potest Deus alicui revelare suam Prædestinationem: hæc revelatio non potest consistere in locutione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, sed debet consistere in signis, quæ quidem hìc & nunc debent credi esse locutio Dei, absolutè tamen possent existere quin essent locutio Dei, eo prorsus modo, quo se habet propositio parochi respectu rustici: v.g. si Deus per hominem sanctissimum & multis prophetijs clarum, mihi curaret dici, me esse prædestinatum, sicut Episcopus prædixit S. Monicæ, filium tot lacrymarum non posse perire. Ergo potest dari actus fidei, quo homo suam prædestinationem crederet, cujus motivum formale esset locutio passiva non essentialiter talis. Majorem concesserunt, & negârunt minorem. Probavi minorem. Si revelatio illa esset essentialiter divina, non posset homo illi discredendo, aut nolendo credere, peccare mortaliter: Sed debet posse non credendo peccare mortaliter, quia agnoscit obligationem credendi. Ergo &c. Minor videbatur innegabilis. Major probabatur. Si enim posset peccare nolendo credere, tale peccatum per suum intrinsecum & essentiale prædicatum penderet ab illa revelatione: ergo esset peccatum mortale essentialiter impunibile pœnâ æternâ, quod repugnat. si enim posset puniri, posset talis homo stante illâ revelatione damnari, ergo falsificaretur revelatio essentialiter divina de illius hominis prædestinatione, hoc autem est impossibile. potest quidem intelligi, quomodo homo facere posset, vt illa revelatio non fuisset divina, sicut potest facere, vt hæc entitas auxilij non sit efficax, sed non potest facere, vt revelatio essentialiter Divina sit falsa.

261. Ad hoc argumentum aliter quàm exspectabam, responsum est, nempe dictum est, talem actum fidei ob meum argumentum factum, fore necessarium necessitate antecedente, nec esse tunc possibile peccatum incredulitatis; adhuc tamen illum actum fore obscurum, & processurum ex pia affectione omnino necessaria necessitate antecedente.

Contra hoc vrgebam ad hominem: nam isti Recentiores docuerunt, libertatem esse actui Voluntatis essentialem, & nullo modo separabilem: atqui illa pia affectio ex se esset capax libertatis, & tamen nunc esset necessaria per accidens, ex prædeterminatione Dei quomodocunque factâ: ergo libertas esset separabilis ab actu, quod est contra hypothesin.

Responderunt, illud imperium ideo non esse capax libertatis, quia non procederet ex cognitione indifferente ad credendum & non credendum, sed ex cognitione proponente solam honestatem & bonitatem assensûs. Sed contra est. Nam impossibile est, vt judicium practicum præcedens proponat honestatem in eliciendo actu obscuro & difficili, & ideo indigente imperio victorioso, quin hoc ipso repræsentet motiva absterrentia. Præterea, si illud Imperium non est meritorium, ad quid opus est dicere illud esse supernaturale? quid opus est ponere revelationem essentialiter divinam, cùm Deus posset sine tali prædeterminare voluntatem ad credendum? Sed non vacat in hac responsione refutanda, quæ nemini hactenus placuit, immorari: Solùm addo, per se absurdum esse dicere, quòd nec Magdalena liberè crediderit sibi esse remissa peccata, nec Apostolos, se esse mundos & amicos Christi, nec B. V. se esse plenam Gratiâ, quæ omnia tamen sequuntur in sententia adversariorum, nec id diffitentur.

Objiciunt contra priora aliqui. Si omnis actus fidei potest conjungi cum formidine, non potest simpliciter & absolutè dici *firmissimus*, prout tamen passim dicitur, & in Professione Fidei quæ est

est in Tridentino, dicitur: *Firmissimè credo & profiteor.* ℟. Si isti RR. attentè legissent Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 13. vidissent, posse aliquem actum Virtutis Theologicæ dici & esse simpliciter firmissimum, & tamen non solùm posse, sed etiam debere conjungi cum formidine. ibi enim dicitur, nos omnes debere firmissimam spem habere & collocare in auxilio Dei, & tamen statim subjungitur: *Formidare debent.* Ex quibus apparet, quomodo Fides & Spes sint dicendæ *firmissimæ*, nempe in quantùm Veracitas Dei ejúsque promissiones fallere non possunt. In quantùm ergo Fides innititur Veracitati Dei, dum credit, eum hîc & nunc loqui, & in quantùm excludit omnem formidinem circa locutionem Dei quam tenetur excludere, & quæ imprudens esset, evadit firmissima: nam illa res est firmissima in suo genere, in quo genere nec dari nec exigi potest major firmitas.

Objiciunt rursus. Si rusticus eâdem firmitate credit articulum falsum, quâ credit verum, tunc vtrumque credit imprudenter: atqui secundùm nos eâdem firmitate credit vtrumque articulum, quia habet eadem motiva credibilitatis pro vtroque, ergo credit vtrumque imprudenter. Major probatur. Nam imprudentiæ est, eâdem firmitate credere falsum, quâ verum. Respondet ad hoc acutè & bene Hispanus Recentior: Non esse hominis prudentis requirere à rustico prudenti prudentiam S. Augustini, & ineptum esse argumentum, & proprium eorum, qui doctrinam Ethicam neque à limine salutârunt, ab eventu factorum prudentiam aut imprudentiam probare: *potest enim*, inquit, *aliquis evidenti judicio practico judicare, se esse obligatum ad credendum, quamvis id quod credit, sit materialiter falsum. & denique considerare oportet, quòd apud rusticum auctoritas sui pastoris eo loco est, quo apud hominem doctum Auctoritas S. Ambrosij.* hæc ille. Ex quibus verbis apparet, ab hoc auctore non requiri etiam in homine docto majorem infallibilitatem motivorum credibilitatis, quàm quæ inest auctoritati tanti viri, quantus fuit S. Ambrosius, aut S. Gregorius Magnus (cujus festo die hæc scribo) quæ non est nisi infallibilitas moralis, seu summa improbabilitas oppositi. Quod autem est alicui summè improbabile, potest simpliciter dici, oppositum non posse se aliter habere; hoc enim sensu, vt libro præcedente retuli, docuit P. Martinus Esparza, nos non posse longo tempore vitare omnia venialia, nempe esse summè improbabile id fieri. Cùm ergo rustico sit summè improbabile, parochum mentiri publicè contra suum Ministerium, & in re gravissima, jam poterit in aliquo sensu dicere: suum motivum non posse fallere, & sic prudenter assentiri firmissimè.

Addit porrò idem Recentior. Sicut potest rusticus judicare evidenter practicè, aliquid esse credendum, etiamsi materialiter sit falsum, ita potest practicè judicare, aliquid esse credendum sine dubitatione, quamvis materialiter sit falsum: sufficit enim, quòd proponatur vt dignum, & cum merito excludendi dubitationem, hoc autem meritum apud rusticum est sufficientissimè auctoritas parochi, sicut apud pueros auctoritas parentum. Similiter potest aliquis prudenter practicè judicare, se esse obligatum ad aliquid credendum sine formidine, cum tanta NB. voluntatis adhæsione, vt vitam potiùs ponat quàm fidem, quamvis illud materialiter sit falsum: nam, vt dixi, ab eventu res factæ neque probandæ neque improbandæ sunt. Neque est novum in fide: quia enim omne omnino præceptum obligat evidenter, quando proponitur esse imprudentem dubitationem circa præceptum datum, vel legem latam, vt suo loco dicemus. Interim videantur præcipuè ex DD. citati Granadus & Tannerus.

Hæc docuit ille Recentior in loco, vbi Discerniculum originem habuit, nempe Romæ, & quidem contra Discerniculum hæc omnia docuit, quæ ideo referre volui, quia Recentiores amantes Discerniculi voluerunt suum Discerniculum palliare auctoritate hujus Hispani, quasi & ille admitteret fidem firmissimam, quæ tamen definit (si superis placet) non posse sine Discerniculo. Sed jam apparet, nunquam Solem Lunæ magis opponi, quàm hic Recentior opponatur Discerniculo, & hæc est caussa, quare hujus Recentioris toties mentionem fecerim.

CONTROVERSIA III.

Vtrum ex Fide à nobis asserta, procedere possit amor Dei super omnia.

262. RECentiores quidam Discerniculi fautores, adeo necessarium esse Discerniculum existimârunt, vt sine illo non posset haberi amor Dei super omnia, & hoc est vltimum argumentum pro discerniculo, sed, vt ipsi existimant, optimum, quod tamen nec Pallavicinus, nec P. Esparza vidit. Sic igitur argumentantur. Si motiva credibilitatis possunt esse eadem respectu objecti veri & falsi, adeoque, quantùm est ex se fallibilia & enervabilia, qualis est auctoritas Parochi, dicit rusticus non habet aliud motivum credibilitatis, quàm talem enervabilem auctoritatem, sequitur, quòd Rusticus credens parocho, Deum esse nostrum finem supernaturalem, & vt talem esse amandum super omnia, sequitur, inquiunt, quòd Rusticus non possit elicere amorem Dei super omnia. Consequens est vtique absurdum. Ergo &c. Sequelam probant. Qui amat Deum super omnia, debet absolutè velle Deum præferre omnibus, pro omni tempore, nullo tempore, excepto, aut circumstantiâ exceptâ, quia sine vlla limitatione aut restrictione, aut conditione amandus est. sed rusticus vi suæ fidei hoc non posset: ergo vera est sequela. Probant minorem: (debebant probare majorem, quæ tam falsa est, quam vlla propositio esse potest, etiam in ipsorum principiis

principijs vt postea ostendam : Nam rusticus necessariò debet suum amorem restringere ad illud solum tempus, quamdiu non enervatur auctoritas parochi : nam hac enervatâ ; jam Deus non proponitur ampliùs rustico vt finis supernaturalis : ergo non potest se extendere amor rustici ad illud tempus, quo enervaretur auctoritas parochi. Vno verbo, ex terminis est absurdum dicere, hunc esse perfectum Dei amorem, qui diceret : Amo te vt finem supernaturalem super omnia, *quamvis vi meorum motivorum possis in ratione finis supernaturalis esse chymera, quia parochus potest fallere & falli.*

263. Hoc argumentum non vno modo enervabile est. Primò hoc argumentum involvit implicantiam in terminis. Fatentur adversarij, posse à parocho proponi Deum vt finem supernaturalem super omnia amandum, quin tamen Deus infundat discernicularium illuminationem, nec enim, inquiunt, est Deo imposita necessitas illam infundendi semper, sed quando vult, spirat Spiritus. vlteriùs docent, quòd etiam absente tali discerniculo rusticus obligetur credere parocho saltem fide naturali & humanâ ; hoc posito, quæro, quando rusticus tunc credit parocho, se esse obligatum ad amandum Deum super omnia, an possit velle satisfacere huic obligationi ? vtique : neque enim datur obligatio ad impossibile. atqui est per adversarios impossibile, tunc velle Deum amare super omnia, quia est impossibile eum amare velle pro tempore, quo enervaretur auctoritas parochi : præterea talis amor amaret Deum sub illis absurdis terminis in objectione propositis : ergo est amor impossibilis : quomodo ergo rusticus tunc obligatur credere parocho, se esse obligatum ad amandum Deum, etiam pro casu quo cognosceretur esse chymera ?

264. Secundò, Quia etiam admissis mille Discerniculis totum Argumentum procedet : Quæro enim, an Rusticus habito Discerniculo extendat suum amorem, & suam voluntatem amandi, etiam ad illud tempus, quo oblitus sui discerniculi, & solùm memor propositionis parochi, vel etiam hujus immemor esset ? negabunt vtique. sed cur ? quia tunc est impossibile amare Deum, cùm non proponeretur motivum amandi. Ita est : hoc ipsum ego respondeo pro me : ideo non potest nec debet se amor Dei extendere ad illum casum, quo enervaretur auctoritas parochi, quia tunc non haberet motivum amandi, sicut non debet se extendere pro casu & tempore quo dormio. Nunquid hæc est evidens paritas ? Vides ergo, quòd in ordine ad extensionem, & revocationem amoris, tam sit enervabile tuum Discerniculum, quàm auctoritas parochi, & tam sit inenervabilis auctoritas parochi, quàm tuum Discerniculum ? Ratio est clara, quia auctoritas parochi vt movens rusticum, includit intrinsecè absentiam enervationis, sicut Discerniculum debet esse in memoria. ergo sicuti per oblivionem tollitur discerniculum, ita per enervationem auctoritatis parochi, tollitur motivum rustici. Aliud ergo est, enervari motivum rustici, & aliud, enervari auctoritatem parochi : Motivum rustici per enervationem parochi potiùs tollitur, quàm enervatur, quia tollitur vna pars illius, sicut per oblivionem tollitur, non enervatur tuum discerniculum : quodsi velis motivum rustici enervari per ablationem partis, ego dicam multò magìs enervari tuum discerniculum per oblivionem, quæ est ablatio totius.

265. Falsa est ergo Major propositio argumenti, cujus falsitas adhuc pluribus exemplis ostendi potest. Subditus rectè dicitur amare suum Principem super omnes homines suæ patriæ, etiamsi non extendat hunc suum amorem ad illud tempus, quo enervarentur ejus argumenta, ob quæ credit, eum esse legitimum principem. Qui habet probabilia signa suæ prædestinationis, amat prudentissimè Deum vt suum Prædestinatorem super omnia : & tamen hic amor non extenditur ad tempus & casum, quo illa signa enervarentur. Potest item quis amare Deum super omnia propter hoc, quòd Beatissimam Virginem exceperit à communi lege peccati originalis : & tamen hic amor non se extendit ad casum, quo ab Ecclesia contrarium definiretur. Quid multis ? Nullius hominis amor extendit se ad illud tempus & casum, quo ipse esset ponendus in inferno, & moraliter necessitandus ad blasphemandum Deum. alioquin diceret noster amor : *Amo te Deus etiam pro illo casu, quo certus sum quòd te non sim amaturus.*

266. Quod in objectione addebatur de Chymera, est argumentum ad terrendos discipulos. Rusticus non ita nugatur, sed sic dicit. *Amo te, Deus, quia mea motiva ita suadent te esse super omnes creaturas amandum, vt non nisi stultè & imprudentissimè agerem, si vellem dubitare, an sis chymæra, cùm in hoc nulla probabilitas appareat, econtra mea motiva sint mihi instar motivorum cujuscunque scientiæ.* Et sic tandem expedita sunt omnia argumenta Discernicularia.

Ex hactenus disputatis Concludo, Rusticorum fidem, cæteris paribus, ex eo capite, quòd eorum motivum proximum & immediatum, nempe auctoritas parochi, sit enervabile, esse majoris meriti, quàm fidem Sagacium, habentium motiva inenervabilia : quia magìs arduum est assentiri cum tanta firmitate affectiva in priore casu, quàm in posteriore ; nam per motiva inenervabilia facilitatur fides, quia magìs propè accedit ad scientiam & evidentiam : adeo vt Pallavicinus ausus sit docere, fidem talibus motivis nixam, non esse liberam quoad specificationem, sed tantùm quoad exercitium. Quapropter hæc fides appretiativè continetur in fide Rusticorum. qui enim paratus est assentiri propter motiva minùs robusta, est à fortiori paratus assentiri propter motiva robustiora.

CON-

CONTROVERSIA IV.

Qualis Certitudo sit de ratione Fidei.

267. NOtandum 1. Certitudinem non solùm tribui actui evidenti, quam Theologi post Durandum vocant *Certitudinem* Evidentiæ, sed etiam actui Fidei obscuræ, quam vocant Certitudinem Inevidentiæ.

268. Notand. 2. Omnem actum Naturalem obscurum, vocari incertum in eo genere in quo genere est obscurus; v. g. judicium quo judico, Ciceronem fuisse Romæ, est judicium moraliter evidens, & ideo etiam moraliter certum: sed quia physicè est obscurum, est etiam physicè & simpliciter incertum. Ratio est, quia posset simpliciter esse judicium falsum: atqui actus capax falsitatis, non dicitur propriè & philosophicè certus, sed impropriè & secundùm quid, nempe certus certitudine adhæsivâ, quando habet annexam negationem formidinis, vt notant Oviedo & Izquierdo. Sic etiam Certitudo Juridica, quæ fundatur in depositione duorum Testium omni exceptione majorum, non est Certitudo philosophicè sumpta.

269. Notandum 3. Cùm quæstio hæc, quid sit Certitudo in genere, sit quæstio de vocabulo, & Theologi vocem illam extenderint ad actum supernaturalem fidei, cujus supernaturalitatem non possumus reflexè experimentaliter cognoscere, sicut reflexè experimentaliter cognoscimus Certitudinem Evidentiæ, consequens esse videtur, ad Certitudinem non plus requirendum esse, quàm prædicatum convertibile cum actu Certo in genere, prout complectitur actum fidei & actum evidentem tanquam membra dividentia.

270. Notandum 4. Cum Oviedo & Ripalda alijsque RR. actus intellectuales necessariò veros necessitate antecedente, esse duplicis generis: alij enim sunt præcisè ideo necessariò veri, quia objectum non potest se aliter habere, absque eo, quòd actus habeat intrinsecam connexionem cum veritate objecti, ita quidem, vt si per impossibile objectum se aliter haberet, non propterea cessaret caussa productiva illius actûs, adeoque qui talem actum reflexè & intuitivè cognosceret, non posset inde evidenter inferre veritatem & necessitatem objecti. hujusmodi sunt actus probabiles circa objecta necessaria, v. g. argumenta quibus Philosophi probant, Materiam primam realiter distingui à Quantitate &c. Alij econtra sunt necessariò veri ex intrinseco prædicato, propter quod petunt esse conformes objecto, & non possunt existere nisi sint conformes: cujusmodi sunt omnes actus evidentes, quorum existentia determinatur ab objecto, item omnes actus intellectuales supernaturales. His positis

271. DICO 1. Certitudinem in genere, prout abstrahit à Certitudine Evidentiæ & Inevidentiæ, constitui sufficienter & adæquatè in intrinseca connexione necessaria cum stante objecto, quem ad sui veritatem requirit. Ita à fere omnes Suarez *d. 6. s. 5. n. 6.* Oviedo *Contr. 7. de animæ*, Ripalda hîc, & Hurtadus *disp. 25. s. 1. & disp. 26. n. 33.* Probatur. Per hoc prædicatum sufficiens distinguitur omnis actus, qui ab omnibus dicitur certus, ab omni actu qui ab omnibus dicitur certus. Convenit enim hoc prædicatum omni actui evidenti, & omni actui supernaturali, & soli dicuntur esse actus certi: & præter hos actus nulli alteri actui convenit, quia nullus actus verè probabilis, & vndique naturalis, habet hujusmodi prædicatum.

272. Dices. Certitudo suscipit magis & minùs, est enim vnus actus altero certior: atqui illa intrinseca connexio non suscipit magis & minùs: ergo non est Certitudo. ℟. Certitudinem appretiativam & adhæsivam suscipere magis & minùs, quo sensu sicut vna Conclusio dicitur esse certior, ita etiam vna dicitur aliâ verior. Hoc sensu dicitur fides esse certissima, quia præ aliis actibus certis illi adhæremus, vt dicetur Controv. seq.

273. DICO 2. Omnis actus fidei habet intrinsecam radicalem repugnantiam cum formidine oppositi. Ita omnes. Probatur. Intrinseca repugnantia radicalis cum formidine, nihil est aliud, quàm quòd entitas actûs sit talis, vt rebus cognita quoad sua prædicata essentialia, determinaret intellectum ad excludendam omnem formidinem de falsitate actûs: sed omnis actus supernaturalis hoc habet, cognosceretur enim in actu supernaturali exigentialis conformitas cum objecto: ergo hoc ipso diceret intellectus, objectum non posse se aliter habere, & hoc quidem evidenter. Ergo &c.

Ex dictis colliges, quo sensu verum sit, quod docent Recentiores, posse assensum rustici circa articulum falsum, esse æqualis certitudinis cum actu fidei circa articulum verum; hoc enim dicunt esse intelligendum de Certitudine Condititatis seu obligationis credendi, non de Certitudine Indefectibilitatis à vero.

CONTROVERSIA V.

An, & quo sensu Actus Fidei Divinæ certior sit Assensu Evidente Naturali.

274. DUrandus negavit simpliciter, vltimum actum fidei esse certum, quia existimavit Certitudinem & Evidentiam esse Terminos convertibiles: sed est error in modo loquendi, cum contra modum loquendi Scripturæ, tribuentis multitudinem Fidei Certitudinem. Hoc ergo supposito comparanda venit Certitudo Fidei cum certitudine actuum naturalium. in qua comparatione Philos

Prima Sententia est, Fidem esse minùs certam Scientiâ naturali. Ita Hugo de S. Victore, Bonaventura, Alensis.

Secunda Sententia est S. Thomæ & communis aliorum, affirmantium Certitudinem Fidei esse majorem quacunque certitudine naturali.

DICO 1. Actus fidei est certior certitudine essentiali & adæquatè intrinsecâ, quæ consistit adæquatè in connexione intrinseca necessaria cum objecto, quacunque Scientiâ Naturali, habente evidentiam physicam aut moralem. Probatur. Nam omnes harum Scientiarum actus vel non habent indispensabilem connexionem cum objecto, adeoque reflexè cogniti non repugnarent cum formidine intellectuali; vel si habent connexionem necessariam & indispensabilem, illa non provenit ex intrinseco prædicato & perfectione actûs, sed ex necessitate objecti, adeoque habent illam per denominationem extrinsecam.

275. DICO 2. Etiam Certitudo inhæsiva seu affectiva est major in actu fidei, quàm Certitudo Scientiæ naturalis, habentis tantùm evidentiam physicam. Probatur Conclusio 1. Auctoritate Scripturæ. 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* tum SS. PP. qui videri possunt apud Card. de Lugo n. 34.

Probatur 2. Ratione. Actus fidei ita assentitur objecto revelato & motivis, vt paratus sit illis assentiri potiùs quàm veritatibus naturalibus physicis, ita vt si ab alterutris recedendum esset, potiùs ab his quàm ab illis recederet, & hoc quidem prudenter, exigente scilicet summâ Dei auctoritate in loquendo, ad quam spectat, posse nos obligare ad credendum ipsi super omnia, etiam quando obscura loquitur, & per ministros suos. Sicut enim Deus ob infinitam Bonitatem est amandus super omnia, ita ob infinitam auctoritatem & potestatem in requirenda & exigenda fide adhibenda locutioni suæ, prudenter innegabili, est dignus, cui super omnia præbeatur assensus.

DICES. Rusticus non potest paratus esse adhærere locutioni parochi, in casu quo parochi veracitas evidentibus rationibus enervaretur. ergo fides rusticorum non est hoc sensu certior illis evidentijs physicis. Sed contra. Hæc replica saltat extra chorum. Jam suprà dixi, motivum Rusticorum non esse præcisè auctoritatem parochi, sed cum addito, *vt non enervatam*; ergo repugnat vt scientia enervans auctoritatem parochi concurrat cum motivo adæquato rustici. Contra Conclusionem

276. Objicitur 1. Ille actus est certior altero, qui magis repugnat cum formidine oppositi: atqui actus evidens evidentiâ physicâ, imò & morali, magis repugnat cum formidine oppositi, quàm actus fidei: Ergo. Minor. probatur. Nemo enim impellitur ad formidandum, an cras sit oriturus sol, aut an Cicero fuerit Romæ, sicut multi impelluntur ad formidandum circa articulos fidei. ℟. 1. cum Card. de Lugo, Distinguendo majorem. Nisi illa repugnantia compensetur per alium excessum in alio prædicato Certitudinis, conceditur, si compensetur, negatur. Repugnantia illa actûs evidentis cum potentia proximâ formidandi, compensatur per firmiorem adhæsionem appretiativam, quatenus ita comparatus est credens, vt si intellectui esset alterutrum objectum negandum, potiùs negaret objectum substans evidentiæ physicæ, quàm objectum Fidei.

277. ℟. 2. & expeditiùs cum S. Thoma, quam responsionem re ipsâ approbat Valentia & Lugo n. 44. distinguendo iterum majorem. Talis actus est certior secundùm se, negatur major, quoad nos, transeat. & eodem modo distinguitur consequens: ergo actus Scientiæ est certior, quoad nos, transeat: secundùm se, negatur consequentia. Rationem optimam, ex mente S. Thomæ, reddit Lugo. Cùm enim, inquit, Certitudo includat connexionem necessariam cognitionis cum veritate, hæc necessitas clariùs percipitur à nobis in actu scientifico, quàm in assensu fidei, quia meliùs percipimus evidentiam & claritatem actûs, ex qua oritur connexio necessaria Scientiæ cum Veritate, quàm percipiamus Supernaturalitatem actûs fidei, ex qua oritur ipsius connexio cum Veritate.

278. Objicitur 2. Potest Philosophus aliquis æquè firmiter adhærere suis sententijs & demonstrationibus, quàm aliquis Christianus suis articulis fidei: ergo assensus fidei non est firmior quocunque assensu naturali. ℟. Distinguendo antecedens. Si Christianus assentiatur objecto juxta merita motivorum, & econtra philosophus non adhæreat obstinatè vltra merita suorum motivorum, nego antecedens, secus transeat, & eodem modo conceditur & negatur consequentia.

279. Objic. 3. Si fides nostra esset appretiativè firmior quacunque Scientiâ naturali, tunc fieri posset, vt quis simul & semel paratus esset ad negandum & affirmandum idem objectum; consequens est absurdum. Sequela probatur. Ponamus enim, me eandem veritatem v. g. Omnipotentiam Dei, & scire, & credere: hoc casu deberem ita credere omnipotentiam, vt paratus simul essem ad eandem negandam potiùs, quàm non credendam: ergo paratus essem ad eandem simul credendam & negandam.

Respondet Card. de Lugo, negando sequelam. ad probationem respondet, Fidem dici firmiorem omni Scientiâ naturali, comparando assensum fidei cum assensu Scientiæ secundùm ordinem ad sua objecta formalia, propter quæ assentiuntur; adeoque in illo casu talis esset paratus potiùs adhærere objecto formali fidei, quàm scientiæ. In eundem sensum

Responderi potest 2. Assensum fidei comparandum esse cum assensu naturali secundùm rationem adhærendi suo objecto, adeoque secundùm illum gradum adhæsionis, quo similiter adhæreret objecto distincto ab objecto revelato: & hoc modo assensus Fidei est firmior, quia intelle-

ctus paratus est potiùs dissentire cuicunque objecto distincto ab omnipotentia cum tanta evidentia scito, quàm non credere omnipotentiam; & hoc sufficit. per accidens enim est, & impertinens ad æstimandam firmitatem, quòd in hoc objecto Scientia & Fides concurrant; hoc enim non auget firmitatem assensûs Scientifici: ergo vt fides dicatur firmior hoc ipso assensu scientifico, versante circa objectum fidei, satis est, quòd sit firmior quocunque alio actu Scientifico, habente eandem firmitatem ac habet iste: sicut qui dicitur vincere Petrum fortitudine, rectè dicitur etiam vincere Paulum æqualis fortitudinis cum Petro, etiamsi hìc & nunc Paulum ideo non possit vincere, quia est illi alligatus, ita vt non possit prosternere Paulum, nisi simul cadat.

Responderi potest 3. Fidem esse appretiativè certiorem illis duntaxat actibus, quorum veritas fingi potest repugnare cum veritate fidei: hoc autem fieri non potest, quando versantur circa idem objectum.

280. Objic. 4. Judicium evidens credibilitatis, præcedens fidem, debet esse æquè firmum ac ipse assensus fidei subsequens; nec potest homo velle potiùs negare credibilitatem, quàm objectum Fidei, cùm assensus fidei essentialiter præsupponat illud Judicium, & in illo se fundet: atqui Judicium credibilitatis non procedit ab habitu fidei, nec etiam ab habitu piæ affectionis: ergo potest assignari aliquod Judicium evidens æquè firmum, ac est assensus fidei.

℟. Negando suppositum, quia illud Judicium habet evidentiam metaphysicam. Deinde respondetur, Conclusionem solùm procedere de illis actibus, qui ad fidem non præsupponuntur, nec ad eam pertinent reductivè.

281. DICO 3. Non est necesse, vt Fides sit firmior actu scientifico habente evidentiam metaphysicam perfectam, hoc est, quæ in nullo casu reali admittat formidinem, nec possit â Voluntate cohiberi assensus. Ita Card. de Lugo; & si qui contrarium tenent, non videntur evidentiam metaphysicam in hoc rigore accepisse. Reperitur autem hæc Evidentia imprimis in Visione beatifica; deinde in primis principijs, & si quæ Conclusio ex hujusmodi legitimè deducitur. Probatur Conclusio. Non sumus obligati nec obligabiles ad majorem firmitatem, sive ad majorem appretiativam adhæsionem, & prælationem, quàm respectu illorum objectorum, quorum evidentia quoad gradum evidentiæ potest reperiri in objecto repugnante cum veritate fidei: v. g. licet physicè sit evidens, accidentia semper esse in subjecto: quia tamen hæc evidentia non ostendit impossibilitatem oppositi, quin possemus de hoc formidare, si Deus revelaret, se in hac exigentia posse dispensare, ideo si hæc evidentia repugnat cum articulo fidei, debemus huic præ illa adhærere, & consequenter præ omni evidentia eodem gradûs: atqui nulla evidentia metaphysica potest apparere repugnans cum articulo fidei, ipso quòd sit talis ac tanta, vt sit impossibile obbere assensum (alioquin obligaremur ad judicanda contradictoria) ergo non obligamur ad illam prælationem.

282. DICES cum Ripalda. Magnam firmitatem Fidei supra evidentiam metaphysicam consistere in prælatione conditionali sub hypothesi impossibili: nempe: si possem formare de veritate objecti metaphysicè evidenti, potius de illa quàm de veritate fidei formidarem.

Sed contra: quia hæc hypothesis non repugnat nostram Conclusionem, sed destruit assum: fingitur enim, objectum non esse evidens metaphysicè, sed tantùm physicè (nisi malle dicere, in hypothesi poni formaliter contradictoria, & sic est inepta & inutilis ad quidvis argumentandum) adeoque sic voluntas non est paratà præferre objectum Fidei evidentiæ metaphysicæ quàm illi, sed solùm physicæ, quod vltro fateremur. Si ergo hypothesis nobis adversaretur, sic formanda esset. Si objectum metaphysicè evidens appareret mihi contrarium objecto fidei, parerem illud quantumvis metaphysicè evidens, potiùs negare, quàm objectum Fidei. Verum hæc voluntas esset chymærica, vt bene dixit Lugo: desset enim Voluntas dissentiendi etiam tunc, quando est impossibile dissentire: esletque actus imprudens. Si enim evidentia metaphysica repugnaret cum objecto quod putamus esse revelatum, & hæc ipsa repugnantia esset metaphysicè evidens, necessitaremur ad judicandum, Deum hoc non revelâsse: necessitamur enim ad dissentiendum vni ex contradictorijs, si alteri assentimur. Deque hujusmodi appretiatio seu prælatio esset similis amori, quo quis ex amore vellet odire Deum si hoc illi placeret, quod ex termino est ineptum.

Objici solet S. Augustinus l. 7. Confess. c. 10. dicens: Faciliùs dubitarem vivere me, quàm esse Veritatem quàm audivi. ℟. Ex ipso loquendi modo colligi, S. Augustinum loqui non de cognitione experimentali, quâ anima experitur se existere, sed de vita dubitabili, nempe de vitâ ne animæ cum corpore, de qua in aliquo casu dubitari posset, vti dubitavit qui dixit. *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio.* alioquin esset modus loquendi ineptus.

Objicit Suarez, defacto nos dissentire principio metaphysicè evidenti, pugnanti cum fide. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Ad hoc responsum est libro 1. quæ non est opus repetere.

CAPVT IV.

DE OBSCVRITATE FIDEI, EIVSQVE REPVGNANTIA CVM EVIDENTIA.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Actus Fidei possit esse evidens in Attestante.

283. DIximus suprà, Veracitatem Dei posse per actum evidentem ab habitu Fidei elicitum attingi. Nunc quæritur, an pari modo possit ipsa Revelatio aliquando per actum Fidei evidentem cognosci, non tantùm evidentiâ morali, sed evidentiâ metaphysicâ, nullam formidinem admittente.

Observandum autem priùs est, hanc quæstionem non esse merè de possibili, sed esse partim defacto, partim de possibili. Non enim quæritur, an sit possibilis aliquis habitus, qui possit elicere actum Metaphysicè evidentem circa locutionem Dei, cognoscendo evidenter, eam esse locutionem Dei. Possibilitatem hujus habitûs concedunt DD. communiter, contra Bannez, opinantem, quòd sola Visio Beata possit habere hanc evidentiam. Vtrum autem hujusmodi habitus & actus illius esset dicendus habitus & actus Fidei, esset quæstio de vocabulo. Quæritur ergo, an Habitus Fidei defacto nobis infusus, possit elicere talem actum evidentem circa revelationem Dei, ita vt necessitaretur ad assensum: *Deus hoc loquitur.*

284. Prima sententia affirmat. Ita Scotus, Gabriel, Cajet. Vasq. Turrian. & Ripalda. qui tamen immeritò citat P. Conink d. 9. n. 91. solùm enim admittit, posse cum actu fidei stare evidentiam naturalem de revelatione Dei. Æquè immeritò citat S. Thomam q. 5. a. 2. vbi admittit in Dæmonibus fidem, nixam evidentibus signis, quòd ea, quæ Ecclesia proponit credenda, sint vera: Sed, non dicit illam esse evidentiam Metaphysicam, multò minùs dicit, esse actum productum ab habitu supernaturali fidei. citat eundem q. 171. sed ibi potiùs est contrarius, dum in Prophetis ponit lumen quoddam transiens, nec illud vult esse habitum.

Secunda Sententia negat. Ita S. Thomas *q. 1. a. 4. & q. 4. a. 1.* quem sequuntur communiter Theologi. ob cujus auctoritatem præcipuè, (nam pleraque argumenta bene dissolvit Ripalda.)

285. DICO, probabilius esse, quòd à nostro Habitu Fidei non possit elici actus metaphysicè evidens circa revelationem Dei. Probatur. Vis & virtus nostri habitûs non est extendenda ad alium tendendi & operandi modum, quàm ad illum, quem colligimus illi competere vel ab experientia, vel ex S. Scriptura. Sed actus habentes evidentiam metaphysicam circa revelationem dari in viatoribus, nec experientiâ, nec ex Scriptura colligitur: ergo &c. Minor probatur. Ex Scriptura solùm constat, Fidem esse argumentum non apparentium: ad Hebr. 11. pendere ab imperio voluntatis, & sic esse meritorios, adeoque habere talem tendentiam in objectum, quæ non minùs quàm motus progressivus sit voluntaria. Porrò hic modus tendendi notabilissimè differt ab eo, quo determinamur & necessitamur ab objecto.

286. DICES 1. definitionem illam S. Pauli adhuc salvari, quia S. Paulus videtur tantùm excludere voluisse à motivo fidei evidentiam per medium intrinsecum, quale medium non est revelatio Dei. Sed Contra, quia hac ratione S. Paulus nihil ignotum docuisset: quis enim ignorat auctoritatem loquentis esse objecto extrinsecam? Intentio S. Pauli erat, commendare Hebræis fidei nostræ meritum, proveniens ex difficultate illius, ejúsque necessitatem ad salutem, vt proinde non sint absterrendi difficultatibus: hoc autem est commendare fidem voluntariam.

287. DICES 2. Nostro Argumento probaretur, nec Veracitatem Dei attingi posse per actum elicitum ab habitu fidei metaphysicè evidentem; quod tamen suprà concessimus. R. Negando sequelam & paritatem. Vt enim Veracitatem Dei attingere posset, & quidem evidenter, actus elicitus ab habitu fidei, erat omnino necessarium: quandoquidem homo potest naturali vi cognoscere evidenter, Deum esse summè veracem: non potest autem fides impedire evidentiam specierum intentionalium, quibus vtitur in attingenda veracitate.

288. DICES 3. Saltem casu quo alicui ipsa veracitas Dei non esset metaphysicè evidens,

& tamen haberet evidentiam revelationis, nihil videtur obstare, quominùs à nostro habitu eliceretur actus fidei, quia adhuc esset actus pendens ab imperio voluntatis. ℟. Transeat totum, de quo nolo disputare. videat de hoc quivult Lugonem n. 36.

289. Objiciunt 1. saltem supremus Angelus evidenter cognovit Deum sibi loqui in primo instanti, quando habuit fidem Mysteriorum sibi revelatorum: atqui habuit habitum fidei ejusdem rationis nobiscum: ergo &c. Major probatur. Quia Angelus supremus evidenter cognovit aliquem sibi loqui, & non inferiorem se, nec sibi parem, cùm nullus talis existeret: ergo &c. ℟. 1. Si in Angelis non posset declarari modus, quo Deus illis obscurè loqueretur, potiùs dicendum esset cum plurimis DD. Angelos non habuisse Fidem propriè dictam, sed altiorem quandam cognitionem. Respondet deinde Lugo, concedendo quidem, Angelos habuisse evidentiam moralem, negando tamen, quòd habuerint evidentiam Metaphysicam; quia etiam supremus Angelus potuisset saltem imprudenter formidare, an non fortè loquatur sibi aliqua creatura superior, quæ ipsum vellet decipere, & quam Deus ex gravibus caussis sibi occultaret: vnde etiam dicendum est, ab Angelo non fuisse evidenter Metaphysicè cognitam supernaturalitatem illius locutionis: quapropter Angelus animadvertens, sibi metaphysicè non constare de supernaturalitate aut naturalitate illius locutionis, potuit saltem imprudenter formidare, ne fortè non sit supernaturalis, nec locutio Dei. P. Esparza q. 24. ad 5. addit, hunc loquendi modum respectu Angelorum, difficulter quidem explicari per conceptus specificos, credendum tamen esse, quòd Deus possit non minùs Angelis quàm hominibus loqui locutione obscurâ, quæ tamen sit digna creditu, quòd sit locutio Dei. Meo judicio non adeo difficulter explicatur ab illis, qui admittunt, ad Fidem sufficere locutionem quoad modum supernaturalem; difficulter tamen ab illis, qui requirunt supernaturalem quoad substantiam, & quæ ab Angelo non nisi obscurè judicetur esse inimitabilis à creatura.

290. Objiciunt 2. Moyses, B. V. Apostoli habebant ex miraculis per ipsos, vel in ipsis factis, evidentiam, se veram doctrinam tenere. ℟. habuisse quidem moralem evidentiam, non tamen evidentiam metaphysicam, quia potuissent imprudenter suspicari aut formidare, vtrum ea fierent ope dæmonis, aut falsâ repræsentatione. Sanè Sectariorum nostri temporis pertinacia satis ostendit, hominem protervum non cogi ad assentiendum miraculis, sicut nec Judæi miraculis Christi adeo patentibus necessitati fuerunt.

291. Objiciunt 3. Obscuritas non est ratio formalis motiva ex parte objecti: ergo eâ absente totum motivum habetur: ergo poterit produci actus. Probatur antecedens. Illud enim non se tenet ex parte objecti formalis, quòd non redditur pro ratione, quare ponatur actus: sed non redditur pro ratione assensûs, quia objectum est obscurum: ergo obscuritas non se tenet ex parte objecti formalis. ℟. Negando suppositum argumenti; nempe quòd obscuritas se teneat ex parte objecti: hoc enim falsum est; nam obscuritas formalis tenet se ex parte actûs, & non objectum denominatur obscurum, vt etiam docet S. Thomas 1. 2. q. 67. a. 3. & de Verit. q. 14. a. 9. Hinc concessò antecedente, distinguitur primum consequens: Haberetur totum motivum, sed diverso modo applicatum in ordine ad caussandum alium actum specie diversum, concedo; simpliciter, Nego primam & secundam consequentiam.

Objiciunt 4. S. Thomam q. 5. a. 2. ubi dicit, eos qui viderent suscitari mortuum in confirmationem alicujus veritatis, manifestè cognoscerent esse, illam doctrinam esse à Deo. ℟. 1. S. Thomam loqui de evidentia credibilitatis: de cætero requirit ibid. imperium voluntatis ad ipsum actum fidei.

CONTROVERSIA II.

Cum quali evidentia naturali circa idem objectum materiale consistere possit actus Fidei.

292. Quæritur 1. An possim vno eodemque instanti eidem objecto materiali assentire per actum fidei, & per actum scientificum, v. g. vtrum eodem instanti quo elicio demonstrationem, quòd Mundus sit creatus in tempore, possim elicere actum fidei, quo propter revelationem Gen. 1. credo mundum factum in tempore.

Prima Sententia vniversim negat, etiam de potentia absoluta. Tribuitur S. Thomæ q. 1. a. 4. & 5. quem sequuntur communiter Thomistæ, & Scotus cum suis. Ex nostris sequitur Molina. Cæterùm S. Thomas videtur potiùs stare pro tertia Sententia mox referenda, & ita interpretatur Petrus de Aragon.

Secunda Sententia, vniversim affirmat, concepta Visione Beatâ. Ita plures ex nostris.

Tertia, distinguit inter Evidentiam physicam & metaphysicam. Cum priore dicit possit consistere fidem, non cum posteriore. Evidentiam physicam dicunt, quæ habetur per sensum, vel ex eo, quòd spectato naturali rerum ordine, & exigentiâ caussarum physicarum, necessariò sequitur, quamvis posset miraculosè aliter fieri. Vnde hæc evidentia non est omnino impertinibilis, nec omnem formidinem essentialiter excludit, sed tantùm formidinem prudentem. Ad hanc reducitur Evidentia metaphysica imperfecta, seu inferioris ordinis, hoc est, quæ quidem non fundatur merè in experientia sensuum, nec in naturarum exigentia dispensabili, est tamen ita plurimis conceptibus evolvenda, vt ob infirmitatem nostri intellectûs, communiter admittat formidinem

dinem aliquam, saltem imprudentem: hujusmodi apud plurimos est demonstratio Dei ex creaturis.

Evidentia Metaphysica est, quæ reddit intellectum omnino imperturbabilem, & excludit omnem etiam imprudentem formidinem: vt sunt prima principia, & quæ inde deducuntur. Itaque hæc Sent. est S. Thomæ, Suarez, Vasquez, Conink, Turriani, Hurtadi, Granadi, quos sequitur Lugo, Perez, Pallav. Esparza.

Quarta Sententia erit, si dicamus, quòd actus fidei, qui in modo tendendi assimilatur tertiæ mentis operationi, hoc est Illationi, quæ solet exprimi per part. *Ergo*; quòd, inquam, talis actus fidei possit quidem stare cum evidentia physica, non autem cum evidentia metaphysica. Econtra, actus fidei qui per modum tendendi secundæ mentis operationis, hoc est, judicij immediati assentiretur toti complexo, quod constat ex Veracitate Dei, revelatione, & ipso mysterio revelato, talis, inquam, actus posset stare etiam cum evidentia metaphysica; quod fortasse Auctores tertiæ sententiæ non negarent. Itaque-

293. DICO 1. Actus Fidei divinæ non repugnat cum evidentia physica quasi per hanc excludatur. Probatur. Omnis actus, circa cujus objectum potest intellectus ab alio actu adjuncto accipere firmitatem & robur in adhærendo, potest conjungi cum tali actu, à quo accipit ejusmodi firmitatem & robur. Sed intellectus, stante Evidentiâ physicâ, potest ab actu fidei accipere firmitatem & robur. Ergo potest cum actu fidei conjungi. Major patet, quia nulla ratio est, cur intellectus repudiet actum, à quo potest magis in suo fine firmari, sicut voluntas nullum bonum necessariò respuit, quo ejus finis potest promoveri. Minor autem probatur. Evidentia physica non ita certificat intellectum, vt ejus motivum assentiendi appareat penitus infallibile; nec meretur assensum, quo quis judicet, rem non posse se aliter habere, adeoque vi suæ apparentiæ, posset in aliquo casu admittere prudentem formidinem, quia posset fallere, cùm defacto multæ hujusmodi evidentiæ physicæ fallant, vt suprà vidimus: atqui sic jam admittit Intellectus circa illius evidentiæ objectum, aliquam firmitatem & robur, præsertim ab actu fidei, cujus motivum meretur credi, quod non possit fallere: ergo evidentia physica non excludit fidem.

294. DICO 2. Cum quacunque evidentia, quæ in via potest haberi per causas naturales, potest stare actus fidei, affirmans immediatè revelationem & rem revelatam, propter connexionem quam habent inter se, absque modo tendendi illativo vnius ex alio, sed eo modo, quo aspicientes parietem, affirmamus existentiam parietis vt connexam cum visione quam experimur.

Probatur Conclusio primò. Quare fides non possit stare cum evidentia summa & imperturbabili, desumitur ex modo tendendi imperfecto, qui reperitur in modo tendendi tertiæ mentis operationis, seu Illationis, vt videbimus Concl. sequente. Sed hoc fundamentum non procedit de actu immediato, quo affirmo existere revelationem connexam cum productione mundi in tempore, seu coëxistentiam & conformitatem revelationis cum re præterita: ergo nulla ratio convincit repugnantiam.

295. DICES. Per talem assensum non affirmatur mysterium seu res revelata directè, sed tantùm indirectè, nempe in revelatione tanquam in medio. R. Hoc sufficere, vt dicatur simpliter affirmari. Sic beati dicuntur cognoscere creaturas, quatenus eas cognoscunt in Deo; & non aliter. Sic quando audiens vocem Petri, affirmo sine vlla illatione, Petrum esse præsentem, non affirmo ejus præsentiam directè, sed in voce habente connexionem cum illo. Nihil enim affirmamus directè immediatè, nisi quod apparet in se. Quare autem talis assensus dicatur immediatus, & non potiùs mediatus, quamvis cognoscat vnum in alio tanquam in medio, jam in philosophia exposui, & nunc breviter dico; esse immediatum quatenus opponitur actui illativo, qui est mediatus, quia cognoscit vnum ex alio, cui innititur tanquam motivo formali, & cognoscibili pro priori naturæ, per duos actus connectentes extrema cum medio termino, vt deinde extrema connectantur inter se.

Probatur Conclusio 2. Quia hac ratione faciliùs solvuntur argumenta quædam non levia, quæ fieri solent contra tertiam conclusionem mox ponendam, sicque conciliantur Auctores, qui alioquin in hoc puncto sibi magno numero opponuntur.

296. Objici solet definitio S. Pauli, quòd hac ratione fides non esset argumentum rerum non apparentium. Ad hoc tamen varijs modis responderi potest. Primò cum quodam Recentiore, observando ex S. Thoma q. 8. a. 2. & communi aliorum, aliqua esse, quæ per se, & directè cadunt sub fidem; & talia sunt, quæ naturalem intelligentiam excedunt, vt Trinitas, Incarnatio, Resurrectio; & ab his, tanquam à sua directa & potissima ac famosiore materia, Fides dicitur Argumentum non apparentium simpliciter. Alia cadunt sub fidem indirectè & secundariò, vt sunt, quæcunque continentur in Scriptura: & ista non omnia sunt non apparentia simpliciter, & nihilominus creduntur & credi debent: vt quæ narrantur de Cane Tobiæ, de factis hominum, de bellis gestis, quæ omnia vtique secundùm se aliquando apparebant & erant evidentia, vnde nec dicuntur Mysteria. Ita ferè etiam respondet Lugo & Ripalda. Ratio est, quia propter illa objecta, quæ naturali ratione facilè possunt intelligi, Fides non est instituta, nec fuisset instituta, nisi alia abscondita Mysteria fuissent revelanda. Rectè ergo Fides denominatur argumentum non apparentium, nempe eorum objectorum, propter quæ primariò & principaliter Fides

est à Deo instituta : idque colligitur ex verbis præcedentibus. *Fides est sperandarum substantia rerum.*

Responderi potest 2. Sensum illorum verborum non esse exclusivum, sed potiùs extensivum, seu ampliativum, hoc est, non esse sensum, quòd fides sit tantummodo argumentum non apparentium, sed, quòd sit argumentum *etiam non apparentium*, seu, non potentium apparere cognitione naturali. Ratio responsionis est, quia S. Paulus noluit exprimere imperfectiones Fidei, sed potiùs ejus vim & vtilitatem commendare. Quodsi Fides esset exclusio evidentiæ circa objecta alioquin evidenter cognoscibilia, hæc exclusio esset imperfectio, sicut est ipsa obscuritas actûs. At verò, esse argumentum rerum naturaliter incognoscibilium, est perfectio maxima, quia elevat nostrum intellectum vltra proprias vires: & hoc specificat Fidem, sicut arduitas in objecto specificat Spem.

297. Responderi potest 3. Actum Fidei, de quo locuti sumus in Conclusione, non esse propriè *Argumentum*; quia hæc vox significat illationem: actus ergo Fidei, qui propriè dicitur Argumentum, non potest conjungi cum Evidentia Metaphysicâ, vt dicam Concl. seq. Hoc sensu dixit S. Gregorius *hom. 26. in Evang. Cùm Paulus Apostolus dicat: Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. profectò liquet, quia Fides earum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt.* Neque obstat, quòd S. P. addat. *Quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem.* Nam horum verborum sensus est, quòd actus evidens, quà talis, non sit Fides, sed Agnitio dicenda. Eodem sensu dixit S. Athanasius. *Fides est, quæ in impossibili possibilitatem, robur in imbecillitate, patibile in impatibilitate, corruptionem in incorruptibilitate, mortale in immortalitate, & in paucitate magnitudinem credit.*

298. Ad alia Testimonia Patrum, quæ objici solent, ex dictis responderi potest. Addendum tamen est, Patres præcipuè negare voluisse, Fidem stare cum Evidentia, quando Evidentia naturalis ita esset caussa fidei, vt nisi objectum esset evidens, non crederetur: talis enim Fides non esset laudabilis aut meritoria, nec etiam obsequium Deo præstitum, sed potiùs procederet ex animo malè affecto ad res Fidei, vt patet. Hoc sensu S. Gregorius dixit. *Non est fidei meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.*

299. DICO 3. Si tertia mentis operatio dicit in suo tendendi modo pro priori naturæ exclusionem plenissimæ & imperturbabilis possessionis objecti, aliunde habitæ, tunc connaturaliter saltem (quidquid sit de potentia Dei absoluta) non potest actus Fidei illativus stare cum evidentia Metaphysica circa idem objectum materiale. Conclusio est conditionatè posita, supponens ex philosophia doctrinam mihi veriorem (de qua tamen hic disputandum non est) quòd tertia mentis operatio in hoc differat à secunda mentis operatione, quòd in suo modo asserendi [illegible] assensu connexionis duorum extremorum [illegible] tertio, qui nisus exprimatur per particulam; Ergo: quæ innuit imperfectionem talis assensus, quòd scilicet ita nitatur assensu alterius, vt profiteatur, non adesse in intellectu aliunde [illegible] luçem & possessionem objecti pro priori naturæ, quæ sit plenissima possessio talis objecti. Nam absque hac exclusione non potest assignari sufficiens discrimen inter secundam & tertiam mentis operationem: Judicare enim præcisè vnius connexionem cum altero, convenit secundæ mentis operationi. Sub hujus doctrinæ hypothesi procedit Conclusio & Probatur. Nam Evidentia Metaphysica esset actus procedens ex determinatione facta ab objecto, sine imperio Voluntatis & hoc ipso esset possessio imperturbabilis objecti: actus autem Fidei procederet ex pia affectione, adeoque jam teneret se pro posteriori naturæ, ergo vel non erit illativus, vel excludet pro priori naturæ evidentiam metaphysicam: ergo non potest saltem connaturaliter coëxistere illi.

300. Objicies 1. Stante perfectissima possessione objecti, adhuc cognitio obscurior eiusdem objecti est quædam perfectio intellectûs: ergo adhuc potest vtiliter superaddi evidentiæ metaphysicæ. Nam ex hoc capite superaddetur in Christo Scientia infusa Visioni beatæ. R. Hoc argumento probatum iri, quòd Fides etiam possit stare cum Visione beata, & opinio cum demonstratione metaphysica, & quòd in Christo fuisse Fides; Omnibus ergo distinguendum est antecedens: est perfectio habens imperfectionem non explicatam, in modo tendendi, concedimus, aliter negatur antecedens & consequentia. Sic dolor de peccatis commissis, quamvis sit perfectio, non potest tamen stare cum gaudio beatifico, quia supponit pro priori naturæ subjectum non habens gaudium satiativum, & omnis doloris impeditivum: item actus quo quis evidenter judicat, se aliquid ignorare, vel de aliquo objecto dubitare, repugnat cum evidentia illius objecti. Jam quod attinet ad instantiam allatam de Christo, propter hoc ipsum principium philosophicum dixit Card. de Lugo, in Christo non fuisse actum scientificos, pertinentes ad tertiam mentis operationem, sed tantùm ad secundam. *Videatur disp. de Incarn. n. 32.*

301. Objicies 2. Existentia Dei est omnibus credenda fide divinâ; dicente S. Paulo, quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est; atqui docti habent evidentiam metaphysicam de Existentia Dei: ergo potest cum evidentia metaphysica stare actus fidei ejusdem objecti. Responderi potest primò, cum Pallav. & ex mente S. Thomæ, per illum articulum credendum non intelligi Deum nudè sub quocúnque confuso conceptu, sed intelligi sub conceptu Entis habentis providentiam & Omnipotentiam, & quod solum sit colendum: quæ omnia naturali ratione philosophi investigare non potuerunt. Et quamvis aliqui

aliqui paucis acquisiverint evidentiam physicam, hoc est, æqualem illi, quam habemus de crastino ortu solis, vix tamen vllus acquisivit metaphysicam, hoc est, cui alia æqualis per nullam potentiam possit esse falsa. Verificatur ergo dictum Pauli ex ejusdem intentione sufficienter, quatenus vix vno aut altero excepto de cæteris omnibus verificatur. Meliùs tamen & vniversaliùs,

302. Respondetur 2. S. Paulum nuspiam dixisse, quòd existentia Dei seorsim sumpta necessariò credenda sit actu illativo, & vt *Quod*, sed satis illi esse, si credatur vel vt *Quo*, dum nimirum affirmatur Deus loqui, vel vt *Quod* quatenus est pars complexi hujus: *Deus remunerator.* Nec enim, inquit idem auctor, quoties ex aliquo motivo assentimur alicui concreto, assentimur ex illo motivo singulis partibus illius concreti seorsim sumptis; alioquin qui crederet ex testimonio Medici, se esse ægrotum, crederet ex eodem testimonio se esse hominem, & se existere; nam hæ sunt partes illius concreti, scil. *hominis ægroti.* Itaque credere aliquod totum ex aliquo motivo, est tantùm credere ex illo motivo vltimam formalitatem constitutivam illius totius, & quæ non sunt aliunde nota.

Objicies 3. Posset Deus in præmium actûs Fidei de aliqua re revelata, infundere pro posteriori signo naturæ, evidentiam Metaphysicam illius ejusdem rei: ergo possent stare simul. 8. Conclusionem procedere de connaturali conjunctione. An autem possint conjungi per absolutam potentiam, sicut contra naturalem exigentiam conjungebantur in Christo Beatitudo & Tristitia, non vacat disputare, ne nimiùm philosophiæ nos immisceamus.

303. Probatione à nobis allatâ, & communiter vsurpatâ, non contentus Card. Pallavicinus, duplex aliud argumentum excogitavit ingeniosè, vt solet: quòd vtrumque placet referre, & considerare, quantum habeat momenti. Primum Argumentum proponit n. 164. hoc modo. Fides ex sua essentia est obsequium Liberum & Voluntarium, quod præstamus Auctoritati loquentis, credendo id, quod alioquin possemus non credere. Neque hoc obsequium consistit præcisè in eo, quòd credamus propter auctoritatem illius id, quod possemus non credere ex illo motivo, licet necessitaremur ad illud credendum ex alio motivo. Nam Authoritas loquentis est medium quod adhibetur ad hunc finem, vt credatur ipsa res enuntiata. Sicut præceptum imperantis est medium, quod adhibetur ad hoc, vt fiat res præcepta. Nemo enim adhibet media in ordine ad finem, qui est necessariò exstiturus, independenter ab ipso medio: ergo de natura intrinseca locutionis est, non interponere authoritatem loquentis, nisi in ordine ad illum casum, in quo independenter ab ea audiens non esset aliunde & ex quocunque motivo necessitatus ad assentiendum rei enuntiatæ.

304. Confirmatur ex paritate jam indicatâ. Sicut enim, si ego essem necessitatus ex alio motivo ad volendum audire sacrum, non posset aliquis prudenter id mihi præcipere; quia præceptum supponit libertatem antecedentem circa rem præceptam, vt scilicet simpliciter posset non fieri; ita ex suppositione quòd meo intellectui pateat aliquod objectum, adeoque quòd sim necessitatus ad illud affirmandum, nemo prudens annuntiaret mihi tunc illud objectum præcisè in eum finem, vt etiam ob ejus authoritatem assentirer.

305. Argumentum hoc videtur non improbabili responsione eludi posse. Verum ecquidem est, quòd potestas præcipiendi vt sic & in genere considerata, atque etiam locutio vt sic & in genere considerata, fuerint à natura institutæ primariò in hunc finem, vt haberetur medium obtinendi id, quod alioquin futurum non esset, & vt obtineretur assensus circa illud, circa quod alioquin assensus fortè non poneretur ex vllo motivo, ac proinde, si ad omnia, quæ aliquando expedit præcipi, essemus aliunde necessitati, & ad assentiendum ijs quæ revelari possent, essemus etiam aliunde necessitati, meo quidem judicio certum est, quòd non esset à natura introducta potestas præcipiendi, nec etiam facultas loquendi. Quia, præcisè hoc quod est: *facere ex motivo obedientiæ*: &: *assentiri in obsequium alterius*, etsi sint laudabilia, videntur tamen admodùm secundariò intendi, & non suffectura fuisse ad introducendam potestatem obligandi. Nihilominus tamen hoc concesso, inde non sequitur, quòd, postquam instituta est potestas præcipiendi, propter innumeros casus, in quibus simpliciter vtilis est ad obtinendum id quod præcipitur, & eodem modo facultas loquendi, non sequitur, inquam, quòd non posset postea in casu particulari vtiliter & prudenter exerceri, etiamsi in illo casu particulari res præcepta esset aliunde necessariò futura, & res revelanda aliunde necessariò sciretur.

306. Declarari hoc potest exemplo. Sumere cibum est à natura institutum ad conservandam vitam, ita vt si essemus immortales, & omnes in eadem constitutione permanerentus sine cibo, sicut post resurrectionem erunt Beati, non esset institutus vsus cibi, nec ejus appetitus, nec potentia concoctiva &c, & tamen defacto in casu particulari prudenter fuit adhibita sumptio cibi à Christo Domino post resurrectionem, quando apparuit Apostolis in Cænaculo, & in Emaus, tametsi nihil adjumenti ab illo cibo acceperit. Quidni ergo pari modo adhuc vtilis erit in casu particulari revelatio aut præceptum, etiamsi in tali casu non intendatur finis primarius potestatis loquendi, præcipiendi: & hoc circa primum argumentum.

307. Secundum ejusdem auctoris argumentum sic habet. Natura non reddidit possibiles assensus obscuros, adeoque ex genere suo obnoxios errori, nisi quia non poterat aliter supplere

plere nostram ignorantiam circa plurima objecta; atque vt huic periculo erroris meliùs consuleret, subjecit assensus obscuros imperio voluntatis. Neque ab hac regula exemit assensus Fidei, licet infallibiles; quia noluit eos per experientiam posse discerni ab actibus fallibilibus, alioquin non essent ampliùs obscuri (advertat quæso hîc lector, quàm clarè hîc neget Pallavicinus Discerniculum experimentale inter actum habentem motivum fallibile, & habentem motivum infallibile, si vterque sit obscurus, & quòd obscuritas sit fundamentum formidinis) & tolleretur meritum, quod habemus operandi dependenter à cognitione obscura. Hoc posito debuit Natura sic instituere cæteros obscuros assensus, vt eos non adhiberemus, quando ex alio motivo objectum est evidens, alioquin incideremus in periculum erroris sine vtilitate: totam enim vtilitatem quam præstaret tunc assensus obscurus, possumus percipere, si assentiamur per actum evidentem & infallibilem ipsi probabilitati motivi obscuri, præscindendo à veritate & falsitate. Non debuit autem eximi ab hac Regula assensus obscurus Fidei divinæ, ne de illo haberemus experientiam diversam ab alijs obscuris assensibus; maximè quia ab hac exemptione nullum ferè commodum oriretur, nam totum meritum posset haberi credendo ipsam revelationem divinam, quæ semper est obscura. Ita Pallav.

308. Hæc tamen probatio non convincit. Respondetur enim negando suppositum, nempe quòd Natura noluerit posse conjungi actum probabilem cum evidente, ex hoc fine, ne sine fructu exponeret hominem periculo errandi. Revera enim nulli periculo exponeretur, cui non esset expositus, etiamsi non posset conjungi conclusio opinativa cum conclusione evidente, dummodo posset conjungi assensus obscurus immediatus circa motiva obscura opinionis. Quando enim hæ duæ conclusiones in eodem objecto materiali concurrerent, nullus error committeretur circa objectum materiale (nam hoc revera daretur, quia, vt ponimus, sciretur) sed totus error esset circa objectum formale seu circa motivum. hoc autem periculum errandi maneret, hocipso quia posset elici actus opinativus immediatus, circa ipsum objectum formale directè, & tunc idem error incurreretur quoad æstimationem, qui incurreretur eliciendo conclusionem opinativam. Quòd autem tunc posset elici actus immediatus circa motivum opinionis, non potest à Pallavicino negari, nam vt ex recitatis verbis patet, non obstante evidentiâ, potest stare simul actus Fidei circa revelationem, etiamsi non possit elici actus illativus: ergo idem dicendum est de actu opinativo, alioquin jam posset discerni per experientiam actus Fidei ab actu opinativo, quod Pallav. & meritò reputat absurdum. Et hæc circa secundum argumentum Pallavicini. Contra Conclusionem

309. Objicies. Quandocunque manente parte objecti totum motivum formale alterius actûs, nulla est repugnantia, quominus maneat ipse actus: sed stante Evidentiâ Metaphysicâ adhuc manere potest totum motivum formale Fidei: ergo & actus Fidei. Distinguo majorem: Quandiu manet motivum, & nihil aliud superadditum, cujus negatio seu absentia supponitur ab ipso actu, propter imperfectionem actûs, concedo majorem, nego majorem, & eodem modo distinguo minore, negatur Consequentia. Potest enim subdistingui major: potest manere actus illativus, nego; actus immediatus, affirmans ipsum motivum, concedo. & eodem modo concedimus minorem, negatur deinde consequentia. Instantia est in actu desiderij, & in actu opinativo, habente aliquam formidinem actualem. Nam nec absentia boni desiderati est motivum desiderij, nec absentia certitudinis est motivum opinionis, & tamen vtraque præsupponitur ad hos actus: ergo etiam negatio evidentiæ potest præsupponi ad actum Fidei, etiamsi non sit ejus objectum formale.

CONTROVERSIA III.

Vtrum eidem objecto possimus assentiri ex motivo Scientiæ & Fidei, per vnum indivisibilem actum supernaturalem, & à nostro Habitu infuso procedentem.

310. NEgant Suarez, Turrianus, Fasolus, Conradus, Mæratius, Card. Pallavicinus, & quidem hic vltimus, ex novis fundamentis philosophicis.

Affirmant Molina, Fonseca, & apud hos Durandus, Okam, Gabr. Capreolus, Paladinus, item Valentia, Salas, Conimbric. Arriaga, Oviedo, Hurt. Lugo, Ripalda. Vtrique sententiæ aliquid tribuendum existimo, & quantùm fieri potest, conciliandos Authores. Itaque

DICO 1. Non potest dari indivisibilis actus supernaturalis Fidei nostræ, qui eodem tempore motivum Fidei & Scientiæ, tali modo, vt moveatur à simultate illorum motivorum, hoc est, quod ita assentiatur, vt in modo assentiendi ostendat, se intellectum non assensurum esse hîc & nunc, si motivum Fidei solum, sine motivo scientiæ apparereret: & hoc tribuo primæ sententiæ. Probatur. Ille non est verus actus fidei, qui non innititur auctoritati divinæ, vt vi suæ adhærentiæ determinaret intellectum ad omnia credenda, quæcunque Deus diceret, secluso quocunque alio motivo: atqui actus, de quo procedit conclusio, hoc non præstaret, hocipso quia niteretur formaliter & vnicè simultate plurium motivorum, adeoque non determinaret intellectum ad assentiendum in absentia alterius motivi. Ergo &c.

311. DICO

311. DICO 2. Non apparet repugnantia vnius indivisibilis actûs, habentis duplex prædictum motivum, ita vt in illa motiva tendat quasi seorsim spectata, hoc est, vt adæquatè suffectura hîc & nunc ad impetrandum assensum sibi proprium in absentia alterius motivi. Probatur Conclusio, solvendo objectiones, & priùs quidem communes, deinde speciales Pallavicini.

Objiciunt primò & principaliter. Duæ Differentiæ dividentes & oppositæ, non possunt convenire in eandem speciem; nam quævis earum est adæquatè constitutiva suæ speciei: sed actus Fidei & actus Scientiæ habent differentias oppositas; ergo non potest vtraque differentia convenire in vnum indivisibilem actum: hic enim actus participaret duas Naturas, seu species adæquatas, & per consequens esset Ens rationis, sicut Hircocervus. ℟. Concedo totum. Nego suppositum. In nostro casu non conjunguntur duæ differentiæ aut species in vnum actum, sed ponitur vna tertia species, quæ participat quidem aliqua prædicata positiva & differentialia aliarum specierum, sed non secundùm vltimum complementum differentiæ, quæ est radix exclusiva perfectionis alterius actûs; in quocunque tandem hoc vltimum prædicatum consistat, sive in pura negatione, sive in prædicato aliquo nobis ignoto, vt existimant Moderni. Porro hujusmodi specierum exempla mille existere ait Lugo. sufficiat, vnum alterumve retulisse. Actio Solis & actio Ignis specie differunt, sicut differunt Ignis & Sol: & tamen potest dari actio indivisibilis ab Igne & Sole procedens, & per consequens æquivalens duabus prioribus actionibus quoad prædicata nobis nota. Item duo assensus præmissarum differunt inter se specie, & habent objecta adæquata specie distincta, & tamen actus Conclusionis tendit indivisibiliter in objecta ambarum præmissarum, & insuper in objectum suum directum & proprium.

312. Pro Confirmatione Responsionis observo, quòd Philosophi discrepent inter se, vtrum possint duo actus specie differre ex solo objecto Materiali, v. g. actus quo ob auctoritatem S. Thomæ credo Angelos differre specie, ab alio actu, quo ob ejusdem auctoritatem credo creaturas videri in Deo tanquam in medio: aliqui, vt Arriaga, affirmant, alij negant: negantes tamen fatentur, quòd tales duo actus differant plus inter se, quàm duo actus versantes circa idem objectum materiale & formale. dicunt enim, quòd differentia individualis suscipiat magis & minus, & habeat quandam latitudinem, prout jam communiter explicatur in Logica. Hoc observato, Confirmatur responsio experientiâ manifestâ. Quando quis in sacris litteris legit historiam bene longam v. g. Josephi in Ægyptum venditi, in qua continentur objecta materialia valde diversa, circa quæ posset elicere, & fortè successivè elicit distinctos actus, saltem numero diversos, poterit in fine, tenens memoriter totam historiam, elicere vnum indivisibilem actum æquivalentem prioribus distinctis, quo diceret: *credo totam historiam*; æquivalentem inquam, quoad aliquod prædicatum nobis notum, & in quo illi distincti actus differunt, cum aliqua majori differentia numerica, quàm quæ esset minima. Atqui non minùs absurdum est, duo individua coalescere in vnum, quàm duas species: ergo æquivalentia, quam in Thesi defendimus, non est coalescentia constituens chymæram. Contra hoc

313. Replicat Pallavicinus. Aristoteles reprehendit eos, qui assignabant pro differentijs avium: *esse pennatum vel impennatum*: eo quòd differentia debeat desumi ab aliquo positivo: ergo actus scientificus non differt ab actu fidei præcisè per negationem tendentiæ in motivum fidei, sed per aliquid aliud, & ratione illius prædicati repugnat actus æquivalens vtrique. Respondeo primò. Pallavicinum in hoc argumento supponere, quòd nulla entitas creata possit differre ab altera præcisè per negationem perfectionis alterius: vnde infert, implicare Vbicationem & Durationem indivisibilem realiter, sed æquivalentem duabus imperfectioribus; quam doctrinam hodie, post Sylvestrum Maurum, negant RR. communiter. Vnde patet, Fundamentum Pallavicini esse infirmum. Sed tamen, vt cum eo liberaliùs agamus, dabo esse firmum. ℟. 2. Transeat totum argumentum, nego esse contra meam Conclusionem. Sicut enim suo argumento Pallavicinus malè concluderet, repugnare animal partim pennatum, partim non pennatum (opponeret enim se statim Gallus Indicus, qui circa collum caret pennis) ita non infertur legitimè, repugnare actum qui habeat motivum Scientiæ & Fidei, dummodo non haberet aliud prædicatum occultum, ob quod actus purus Scientiæ caret motivo fidei: sicut Vespertilio ob prædicatum occultum, caret omnino pennis. Eodem modo, licet in genere differant animal pilosum & non pilosum, squammeum & non squammeum, nihilominus tamen Castor de vtroque participat, quamvis non habeat illud prædicatum propter quod carpio est totus squammeus.

314. Vrget tamen Pallavicinus, & vlteriùs probare conatur, quòd omnis differentia specifica debeat esse specialis perfectio. Omnis, inquit, differentia est aliqua pulchritudo & perfectio addita generi, propterea constituit speciem, cujus nomen sonat pulchritudinem & perfectionem: ergo non potest vna species differre ab altera per meram radicalem negationem majoris perfectionis.

Ad hoc argumentum negatur antecedens, & datur instantia clara. Creatura differt à Deo: sed non differt per aliquam perfectionem simpliciter dictam: nam omnem hujusmodi perfectionem habet Deus: ergo differt per negationem radicalem majoris perfectionis.

Conatur ad hoc respondere Pallavicinus, & dicit, Deum non esse in genere, sed supra genus,

nus,& continentem totum genus,quia creatura distinguitur à Deo non per aliquam perfectionem, quæ non sit in Deo, sed per conceptum dicentem carentiam alicujus perfectionis divinæ, ac proinde creatura non differt specie, hoc est, perfectione à Deo. In creaturis autem inter se comparatis, res aliter se habet. Ita ille.

Hac tamen responsione continentur pulchra verba, facientia quæstionem de vocabulo: quid autem ad rem ipsam dicant, ego non assequor. Creatura vtique non differt à Deo solo numero: quæro ergo, quomodo vocanda sit differentia hominis à Deo, si nec est differentia specifica, nec generica? quodcunque nomen illi imposueris, illud ego sine piaculo tribuam etiam differentijs earum creaturarum, quarum vna alteram excedit perfectione. Verùm audiamus Pallavicinum vlteriùs. Nulla inquit, est creatura, quæ in sua differentia specifica non contineat aliquam perfectionem, nulli alteri speciei communem, & ad quam ex necessitate materiæ consequuntur negationes perfectionum, quæ sunt in alijs speciebus. Ratio est, quia nunquam Natura intendit malum, & negationem perfectionis primò & per se. Porrò Aristoteles 10. *met. c.* 11. *&* 12. constituit diversitatem specificam in contrarietate formæ sub eodem genere, & ideo negat marem differre specie à fœmina, quia eorum contrarietas versatur tantùm in materia. atqui contrarietas dicit aliquid positivum, & forma semper sonat perfectionem & pulchritudinem. His positis si daretur aliquis actus respondens simul fidei & Scientiæ, vtique actus solius Scientiæ v. g. non distingueretur ab illo nisi per negationem alterius prædicati dicentis perfectionem, ergo talis actus repugnat. Ita ille.

315. Respondeo. Quando dicis, quòd Natura nunquam intendat malum & negationem perfectionis primò & per se, vel est sermo de Natura prout defacto concurrente cum caussis secundis ad effectus, vel est sermo de Natura, hoc est auctore naturæ, quando primò creavit hoc vniversum, & has rerum species præ alijs elegit. Si Natura accipiatur in primo sensu, dico, Naturam semper intendere primò & per se omnem illam perfectionem, quam potest in his circumstantijs, & cum his & non majoribus impensis obtinere: quia verò in hoc caussarum concursu non continetur virtus producendi nobiliorem speciem, sed ignobiliorem, ideo, non quidem ex intentione Naturæ primaria, sed ex defectu majoris virtutis, producit speciem carentem majori perfectione, quæ reperiretur in nobiliore specie v. g. quando solus ignis est applicatus, producit calorem per actionem dependentem, & specificatam à solo igne; quodsi sol fuisset simul applicatus, produxisset calorem per actionem dependentem simul ab igne & sole, & ab vtroque specificatam. Pari modo quando adsunt & excitantur solæ species intentionales circa motivum Scientificum, producitur actus merè scientificus, non habens tendentiam fidei, cujus carentiam non intendit natura per se, sed ex defectu concaussæ non potest eam tendentiam intendere: quodsi simul adsitarentur species motivorum fidei, tunc vel produceretur actus indivisibilis fidei & scientiæ, vel ex altiore fine (vt paulò pòst videbimus) duo producerentur duo actus distincti.

Quodsi verò sermo sit de Natura secundo modo accepta, tunc respondetur, quòd Deus voluerit species rerum ita producere, vt deinde per caussas secundas possent commodè conservari. Non possent autem commodè conservari, & nonquandoque differrent ab invicem, præcisè per carentiam alterius perfectionis, seu per excessum & defectum, vt patet ex priore responsione.

316. Et quia Pallavicinus solet quandoque res physicas explicare per morales, nobis in præsenti idem licebit. Sunt in Republica bene ordinata instituti diversi gradus Jurisdictionis, quorum infimus est simplex seu mercenaria Jurisdictio, cæteri gradus constituunt Imperium seu mobile Judicis Officium, & à Bartolo sex enumerantur: Maximum, Majus, Magnum, Parvum, Minus, Minimum. Ecce! horum graduum vnus alterum perfectione excedit, & in se totam perfectionem inferioris complectitur. Et quidem Conditores Reipublicæ non poterunt dici vitiosè hos gradus instituisse, aut intendisse in vno gradu negationem majoris perfectionis, scilicet tali loco secundùm se considerato sit malum, carere perfectiore gradu Jurisdictionis, spectato tamen ordine totius Reipublicæ, & bono publico, sic fieri oportebat. Sic ergo dici potest, Naturam ex fine boni publici, potuisse intendere negationem perfectioris speciei, in certis circumstantijs.

Jam locus ex Aristotele adductus nihil particinatur caussæ Pallavicini; loquitur enim operis de Contrarietate latè sumpta, prout etiam reperitur inter formam illiúsque privationem: verba sunt. *Cùm verò contraria specie diversa sunt, corruptibile autem & incorruptibile contraria sunt, propterea namque determinata impotentia, &c.* Immò Aristoteles alibi dicit, quòd species se habeant sicut numeri: atqui numerus à numero differt vnitate per negationem plurium vnitatum, ergo secundùm Aristotelem potest etiam vna species differre ab alia per negationem plurium perfectionum.

317. Denique,demus verum esse quod Pallavicinus pro fundamento assumit,omnem creaturam in sua differentia specifica continere aliquam perfectionem, nulli alteri speciei communem, & ad quam sequatur negatio omnium perfectionum existentium in alijs speciebus. Nihilominus fatendum illi est, prout etiam fatetur, non semper hujusmodi prædicatum esse nobis perspectum, & à nobis assignabile, vt patet in exemplis allatis: idem ergo de actu purè scientifico dici potest, respectu actûs qui simul esset Fides & Scientia.

Quodsi quis ex me scire cuperet, quodnam hujusmodi prædicatum esse existimarem, v.g. in actione

actione ignis, respectu actionis quæ sit ignis & solis actio, dicerem, esse hoc quod est: *Non indigere sole ad sui existentiam*, sive, *habere sufficientiam ad existendum sine sole*; quæ est perfectio simpliciter simplex. Econtra, actio pendens ab Igne & Sole, habet aliam specialem perfectionem, quam prior actio non habet, videlicet: *esse manifestativam duarum virtutum specie diversarum.* Totum hoc facilè applicabitur actui purè scientifico, & actui participanti de Scientia & Fide. Et hactenus quidem ad argumentum commune DD. respondimus; nunc ad specialia veniamus.

318. Objicit ergo 2. & specialiter Pallavicinus. Non experimur in nobis libertatem, immò nec cognitionem quidem ad faciendos hujusmodi actus distinctos potiùs quàm indistinctos seu identificatos: ergo debet esse naturaliter necessarium, vel vt semper sint distincti, vel vt semper sint conjuncti in vnam Entitatem: atqui congruentius fuit ordini naturæ, vt semper essent distincti: ergo id credendum est defacto evenire. Responderi potest 1. Nobis sufficere, quòd talis actus posset dari per potentiam Dei absolutam; sicut, etiamsi in sententia adversarij defacto Potentiæ distinguantur ab anima, & Habitus supernaturales morales distinguantur defacto ab Habitu Charitatis, non tamen hinc infertur repugnantia identitatis in alia specie. ℟. 2. Prout pridem respondi ad hanc objectionem, quam ipse mihi feceram in Libello de anima rationali, Anno 1645. Respondi, inquam, caussam determinantem hîc & nunc ad vnum potiùs quàm ad duos actus, posse esse diversam excitationem specierum, præsertim si admisceantur aliæ species, repræsentantes convenientiam seu concursum diversorum motivorum ad probandum idem. Posset etiam provenire à majori individuali perfectione animæ, juxta Sententiam S. Thomæ.

Verùm, ne quidquam prætermittamus, placet referre ex eodem Pallav. quibus argumentis probet suum subsumptum. Probat ergo 1. Quia Naturæ congruentius fuit elici potiùs distinctos actus, vt consuleret durabilitati. Sicut enim non fecit albedinem distinctam in duas species, quarum altera esset dulcedo, altera amarities ex. gr. sed distinxit albedinem ab his alijs qualitatibus, vt si quid superveniret, quod esset contrarium albedini, eâ destructâ remaneret tamen dulcedo, & vice versâ, ita non debuit identificare in vna entitate prædicata duorum actuum distinguibilia, vt cessantibus requisitis ad conservationem vnius, alter permaneret.

319. Imprimis hoc argumentum supponit, actus intentionales esse qualitates permanentes, quod hodie plures negant, & meritò. Sed demus ita esse, adhuc factus discursus non stringit. Quòd enim Natura ob caussam allatam ita distinxerit albedinem à dulcedine & amaritie, id factum est, quia sæpè oportebat contingere, vt adveniret caussa destructiva dulcedinis, & nulla tunc esset applicata caussa statim productiva albedinis contradistinctæ à dulcedine; hæc autem ratio non procedit in casu nostro. nam etiamsi superveniret aliqua caussa destructiva Scientiæ, v. g. turbarentur species repræsentantes motivum Scientiæ, adhuc maneret præsens caussa sufficiens ad producendum actum Fidei, distinctum ab actu Scientiæ: adhuc enim (vt ponimus) essent excitatæ species repræsentantes motivum Fidei, cum quibus intellectus posset continuò producere actum Fidei.

320. Secunda ejusdem probatio sic habet. Bonitas actûs intellectûs consistit in Veritate indivisibili, atque ideo inficitur ex falsitate cujuscunque motivi: ergo satiùs fuit, vt quoties motivum indivisibile non est ipsa simultas, toties ordo ad vnum motivum distingueretur ab ordine ad aliud motivum, ne pravitas vnius corrumperet bonitatem alterius. ℟. 1. Motiva scientifica physica, per se loquendo & connaturaliter, non esse obnoxia falsitati, multò minùs motiva Fidei. & ideo non est certum, quòd natura ad cavendam falsitatem, instituerit diversos ordines pro diversitate motivorum. ℟. 2. Hoc argumento ad summum probari, quòd pro casu, quo motiva scientifica essent falsitati obnoxia, non produceretur vnus actus sed duo. Dixi: *ad summum.* nam meo judicio nec hoc probat. Natura enim amat parsimoniam entium: & ideo pro casibus ordinarijs vnum actum videtur instituisse: casus autem rarissimos non debebat curare: parùm enim, & ferè nihil hac exceptione lucraretur. Si enim ponantur duo actus, quorum vnus est falsus, alter verus, nescio quid inde lucretur intellectus vltra id, quod haberet per vnum actum, qui illis duobus æquivaleret, & qui quidem esset & diceretur simpliciter falsus, esset tamen secundùm quid verus. sicut non esset minùs æstimabilis qualitas, quæ simul affligeret & sanaret, quàm duæ, quarum vna affligeret, & alia sanaret.

321. Objiciunt alij 3. Si daretur vnus indivisibilis actus, vt vult conclusio, talis actus vtique procederet ab Habitu Fidei, & ab habitu scientifico: sed hoc videtur absurdum. Non potest enim habitus producere actum ex motivo alieno, hoc est, quod non sit proprium illorum actuum, ad quos producendos est institutus ille habitus, vel, si est habitus naturalis, ex quibus est genitus. ℟. Distinguendo probationem minoris. Non potest habitus producere actum ex motivo alieno, tanquam caussa adæquata, & tanquam ex motivo adæquato, concedo, tanquam caussa inadæquata, & tanquam ex motivo inadæquato, nego: sic autem se haberet in casu nostro. Sed Contra

322. Objiciunt 4. Concurrentibus duabus caussis specie diversis, non producitur effectus habens perfectionem vtriusque caussæ, sed imperfectior: atqui in nostro casu fieret contrarium. Major patet inductione in Mulo, Licisca &c. ℟. in his & similibus id provenire ex defectu concaussæ connaturaliter requisitæ, loco

cujus imperfectior substituitur, vt loco Equi Asinus: hoc autem non fit in nostro casu.

324. Objiciunt 5. Talis actus esset perfectior suis caussis, non tantùm singulis seorsim sumptis, sed etiam simul sumptis, nempe propter indivisibilitatem & simplicitatem. R. Negando simpliciter majorem. Nam licet ratione simplicitatis habeat aliquam perfectionem, quam non contineant caussæ formaliter, habent tamen caussæ alias perfectiones quibus caret actus, v. g. esse Ens permanens, esse potentiam ad actus specie diversos &c.

325. Objiciunt 6. Actus ille de quo disputamus, foret simul clarus & obscurus, evidens & inevidens, quæ tamen inter se pugnant. R. Hinc fore quæstionem de nomine, in qua dico, quod talis actus esset clarus saltem secundùm quid, nempe ratione motivi scientifici. Vnde posset simpliciter dici clarus, vt bene notat Ripalda, quia prædicatum Claritatis non dicit negationem omnis Obscuritatis, alioquin nullus actus humanus posset simpliciter dici clarus. Econtra Obscuritas videtur dicere negationem omnis evidentiæ, & ideo talis actus non nisi secundùm quid, nempe secundùm motivum fidei, decendus esset obscurus, & inevidens.

CAPVT V.

DE REPVGNANTIA FIDEI CVM FALSITATE.

CONTROVERSIA I.

An Deus possit revelare Falsum.

326. PRætermissâ hæresi Priscillianistarum & Armenorum, asserentium, Deum defacto mentitum fuisse, Sententia quorundam Catholicorum fuit, Deum quidem non posse mentiri, prout *Mendacium* sonat formalem rationem malitiæ moralis & peccati; posse tamen saltem de potentia absoluta (non tamen ordinaria) falsum revelare sine malitia, sicut potest occidere sine peccato homicidij. Ita Robertus Holkott, Petrus de Aliaco, Adamus Godamus, Almainus, Gabriel.

327. Contraria Sententia negans, est adeo certa, vt Suarez, Conink, Granadus, dicant, esse de Fide, alij dicant oppositam esse Temerariam, Erroneam, Hæresi proximam. Probatur assertio 1. ex S. Scriptura ad Hebr. 6. *Volens Deus abundantiùs ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit Jusjurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium haberemus.* Vbi Card. Lugo ponderat Juramentum, quod licet in nobis addat obligationem supra simplicem assertionem, in Deo solùm addat energiam, quia Jurare est afferre Deum in Testem. Deus autem non potest loqui quin afferat se in Testem, hoc est, quin interponat suam auctoritatem. Idem habetur ad Rom. 3. *Est autem Deus verax.* Jo. 8. *Qui misit me verax est.*

328. Probatur 2. Ratione. Deo debentur omnes perfectiones simpliciter simplices, inter quas vna est summa Auctoritas in dicendo, digna summâ fide excogitabili, ita vt saltem ex hypothesi quòd Deus loquatur, teneamur credere rem ita esse, & non posse aliter se habere, adeoque in præsentia auctoritatis divinæ negare fidem omnibus alijs contradicentibus: atqui si Deus posset falsum revelare, non mereretur talem fidem, sed posset aliquando contingere, vt etiam prudenter Deo non assentiremur, ob rationes probabiles quæ occurrere possent, quòd Deus hic & nunc decipere vellet, imò defacto possemus prudenter formidare, an non Deus voluerit falsum loqui per Jonam Prophetam, & alijs locis, à Suarez & Turriano relatis.

329. Confirmari potest hæc ratio. Vedetur ex terminis absurdum esse, Deum non posse dedocere aliquem errorem suâ auctoritate; atqui si Deus mentiri posset, tunc posset in nobis dari error, quem Deus nullo modo possetiam auctoritate interpositâ dedocere: ergo &c. Minor probatur. Nam semper possem formidare, an non Deus tunc mentiretur, quando me vellet errorem dedocere, quem ipse suo mendacio potuisset caussâsset; nam volendo dedocere errorem, fateretur Deus, se priùs fuisse mentitum: quare possem prudenter formidare, an non priùs verum dixisset, & nunc vellet decipere.

330. Quæ ex Scriptura adduci solent, vel non habebant sensum absolutum sed conditionatum, qualis erat prophetia Jonæ, de interitu Ninive, vel significabant divinam permissionem alicujus deceptionis ab alio faciendæ, vt quando Diabolus permissus est esse spiritus mendax in ore Prophetarum.

CON-

CONTROVERSIA II.

Vtrum circa revelationem apparentem elici possit actus fidei supernaturalis falsus.

331. DICO 1. Nullus actus fidei supernaturalis, potest connaturaliter tendere in revelationem solùm apparentem. Ita communiter omnes contra Majorem. Probatur 1. Ex Tridentino sess. 6. c. 9. vbi dicit, Certitudini fidei falsum subesse non posse. quod ad minimum debet intelligi: *connaturaliter*. nam vtrum hoc simpliciter repugnet, dicemus Concl. seq. Probatur 2. Authoritate PP. tribuentium Fidei certitudinem: atqui Certitudo formaliter consistit in intrinseca connexione cognitionis cum objecto vero, adeoque ad minimum in naturali intrinseca exigentia, ne producatur, nisi quando objectum est verum. Ergo &c.

332. Probatur 3. Omnis actus, qui ex essentia sua est actus virtutis intellectualis, est intrinsecè verus. Sed omnis actus supernaturalis fidei est essentialiter actus virtutis, quia procedit ab habitu supernaturali: ergo &c. Major est Aristotelis 6. Eth. c. 2. & 3. Minor probatur. Habitus Fidei est Virtus Intellectualis, vt constat ex Trid. sess. 6. c. 7.

333. Probatur 4. Ex ipsa supernaturalitate, quæ sicut evehit naturam supra operationes naturales, ita & videntur ejus proprietates esse magis sublimatæ: atqui proprietas maxima est Veritas, & falsitas est imperfectio ac depressio potiùs naturæ, quàm ejus elevatio: ergo &c. sed de hoc iterum infrà.

Objicitur 1. Rusticus, proponente Parocho articulum falsum, tenetur credere: ergo potest elicere actum supernaturalem fidei. R. Tunc quidem rusticus elicit actum supernaturalem piæ affectionis, & meritorium, sed non elicit actum supernaturalem fidei, sed purè naturalem. Ratio est, quia actus supernaturalis nunquam elicitur nisi juxta merita objecti: atqui propositio Parochi, quæ non est supernaturalis quoad modum, hoc est, non est derivata à Deo ejúsque voluntate loquendi, non meretur credi actu supernaturali, cùm sit tota naturalis: ergo tunc nec habitus fidei exigit concurrere ad actum, nec Deus concurrit loco habitûs.

334. Objicitur 2. Sicut se habet volitio supernaturalis ad suum objectum, ita intellectio supernaturalis ad suum, sed volitionis supernaturalis objectum partiale potest esse falsum, v. g. quando ex misericordia do eleemosynam illi, qui se simulat pauperem: ergo & objectum intellectionis supernaturalis potest esse locutio simulata. R. Negando minorem. Quia honestas objectiva illius actus misericordiæ, non consistit in sublevatione veræ paupertatis, sed in sublevatione paupertatis probabiliter apparentis, & sic præcedit judicium practicum evidens, quòd honestum sit dare eleemosynam illi, qui apparet pauper, etiamsi reverà non sit pauper. Quapropter cùm objectum formale talis actûs misericordiæ, sit simpliciter bonum, mirum non est illum actum esse supernaturalem. Hinc autem confirmatur potiùs Conclusio. Nam sicut objectum voluntatis est *bonum*, ita objectum intellectûs est *verum*: ergo sicut actus supernaturalis voluntatis non potest tendere nisi in bonum quod reverâ sit tale, ita nec actus supernaturalis intellectûs potest tendere in objectum, nisi quod sit verum realiter, & non merè apparenter.

335. Objicitur 3. Ponamus Judæum aliquem in nocte Nativitatis Christi elicuisse actum fidei de Messia venturo, & continuâsse illum actum aliquantisper post transactam nativitatem, ille actus ante ipsam nativitatem fuisset verus, post nativitatem cæpisset esse falsus, quia non erat ampliùs verum dicere: *Christus nascetur*. atqui esset supernaturalis. ergo &c. R. Præscindendo ab illa controversia Logicali, vtrum actus verus possit transire in falsum, respondetur inquam, negando sequelam. Vel enim Judæus affirmat futuritionem respectu temporis quo id Propheta prædixit, & tunc actus semper est verus, etiam post nativitatem, quia semper est verum dicere, quòd tempus nativitatis sit posterius, respectu temporis quo locutus est Propheta; vel affirmat futuritionem respectu temporis in quo ipse Judæus existit, & tunc actus ipsius nunquam erit actus fidei supernaturalis, quia nulli revelationi innitetur.

336. Objicitur 4. Potest rusticus vno eodemque indivisibili actu credere Parocho duos articulos, vnum falsum, alterum verum: sed sic actus ille supernaturalis erit falsus. R. Negando suppositum minoris, quòd foret actus supernaturalis. Nec obstat ab illo actu attingi revelationem supernaturalem, nam hæc attingitur etiam ab actu falso, quo aliquid deduco ex vna revelata, & alia propositione probabili, sed falsa. v. g. si quis ex eo quòd Christus sit homo, & omnis homo habeat rebellionem carnis, deduceret, Christum habuisse rebellionem carnis.

337. DICES. Non est majus absurdum, actum falsum caussari ab actu supernaturali, quàm actum supernaturalem esse falsum: sed illud prius potest fieri connaturaliter, vt patet in exemplo allato: ergo & posterius. R. Negando majorem. Et quidem P. Ripalda putat, in tali casu actum supernaturalem posse & debere dici simpliciter Caussam actûs falsi. quia conjunctus cum alia præmissa falsa, necessitat intellectum ad inferendam conclusionem falsam. Quodsi illi objicias, actum fidei esse indifferentem ad conclusionem veram & falsam, replicat, etiam præmissam falsam esse indifferentem ad inferendam conclusionem veram, quia ex falso potest sequi verum. Hoc tamen nullo modo placet. Quando enim dicitur, ex falso posse sequi

verum, intelligendum est materialiter, & de objecto materiali Conclusionis, non de ipso actu Conclusionis, qui semper est falsus, quando vna præmissa est falsa.

338. Meliùs ergo respondet Lugo, in illo casu actum Fidei esse solùm caussam per accidens actûs falsi: quod ipsum etiam sentit Suarez, Conink, Granadus, & Pallavicinus. Ratio est, quia præmissa vera nunquam determinat ad actum falsum, præmissa autem falsa semper determinat ad actum falsum. Vlteriorem rationem à priori dat Pallavicinus: Quoniam, inquit, omnis cognitio vera est ordinata ad Bonum intellectûs, non solùm in ratione Finis, & quatenus per seipsam formaliter eum perficit, sed etiam in ratione medij, & quatenus potest esse semen novæ Scientiæ & veritatis acquirendæ: quapropter etiam actus Fidei, & quivis alius naturalis per se, hoc est ex intentione naturæ, concurrit ad Conclusionem veram, per accidens autem, hoc est præter intentionem, ad falsam.

339. Quæritur jam 2. Vtrum actus Fidei sit essentialiter verus, vt nec divinitus posset esse falsus.

DICO 2. & Respondeo affirmativè, cum communi. & quamvis oppositum visus fuerit tenere P. Ripalda in suo opere de Ente supernaturali, hîc tamen sect. 3. protestatur, se nunquam in hoc puncto quidquam asseruisse, sed solùm fundamenta communia examinâsse, & ostendisse, ea non convincere. & quidem se non esse locutum de actu fidei in specie, sed solùm de actu supernaturali in genere. Cæterùm in actu fidei adhæret communi sententiæ, quam ex antiquis tenet S. Bonaventura, dicens, Fidem tam esse infallibilem, quàm Dei præscientiam: Alexander & Durandus, dicentes, non magìs posse fidei subesse falsum, quàm primæ Veritati. Lorca & Hurtadus vocant oppositum Temerarium. Eandem tandem tenet Oviedo, licet quodammodo invitus, & territus Censuris, quas esset subiturus, si aliter doceret. Communis ergo DD. consensus in re purè Theologica debet habere plurimum momenti, vt sine temeritate recedi non possit. Accedit auctoritas Concilij Tridentini, asserentis, Fidei non posse subesse falsum: non videtur autem locutum esse de sola connaturali exigentia, quia loquebatur conformiter ad sensum communem Theologorum tunc temporis.

340. Probationes ex ratione petitæ, variæ afferuntur. Omissis alijs Card. de Lugo sic probat. Si fidei assensus posset fieri falsus per absolutam Dei potentiam, posset etiam fieri falsus ex natura rei; quia ex natura rei potest prudenter esse credibilis revelatio tantùm apparens.

Respondet Ripalda, quòd Habitus supernaturalis exigat, vt tunc Deus cohibeat concursum ad actum supernaturalem. Verùm hac responsio continet petitionem principij. Hanc enim exigentiam contendit Lugo vel non dari, vel esse indispensabilem. si enim non est contra naturalem exigentiam habitûs, proponi objectum falsum prudenter credibile (prout Lugo & Ripalda concedunt) nulla poterit afferri ratio probans exigentiam naturalem, ne Deus concurrat ad actum supernaturalem, quæ non etiam probet exigentiam indispensabilem. Si enim tunc habitus posset absolutè operari, potiùs videretur exigere concursum ad operandum quàm negationem concursûs, (& hoc vel maximè in sententia P. Esparza, quòd habitus fidei sit species impressa) sicut, si species impressa objecti visibilis divinitus poneretur in tunica retina, esset debitus concursus potentiæ visivæ ad videndum, non obstante absentiâ objecti, ex qua visione causaretur evidentia physica de existentia objecti, sed non actus falsus: ergo pari modo si habitus supernaturalis tantùm naturaliter exigeret non operari absente objecto; posito tamen quòd objectum esset applicatum, mediantibus speciebus alienis, quæ solent objecta fidei applicari, non apparet, quare non esset debitus concursus ad actum supernaturalem falsum, si falsitas non repugnaret essentialiter actui.

341. P. Ripalda Conclusionem sic probat. Non repugnat species actuum supernaturalium intellectualium etiam divinitus infallibilis: ergo qui credibile est, hujusmodi esse actum fidei divinæ; tum quia collocatur fides in supremo ordine virtutum, scilicet Theologicarum, tum quia auctoritas & attestatio divina, ex qua fides intrinsecè movetur, vendicare sibi videtur vim determinandi certitudinem objectivam, quam habet illa divina auctoritas in ipsam certitudinem formalem, vt etiam sit inseparabilis à veritate objecti, atque vt sit ejusdem certitudinis cum objectiva certitudine.

342. Posset hæc Ratio confirmari primò. Lumen Gloriæ succedit Fidei: atqui Lumen gloriæ est principium actûs essentialiter veri, nempe Visionis Beatæ, (quis enim ferat dicere, quòd Visio Beatificans possit esse falsa) & radicatur in eadem Gratia, in qua radicatur habitus fidei: ergo irrationabiliter hoc negatur fidei.

343. Confirmatur 2. Omnis actus supernaturalis est essentialiter supernaturalis: ergo essentialiter decens filium Dei: atqui si posset esse falsus, posset esse non decens, quia decens est negatio illius: ergo vt sit essentialiter decens, debet essentialiter esse verus: alioquin, vt hoc notat Lugo, non elevaret, sed potiùs vitiaret naturam. Verbo. esset miraculum deprædicatum naturæ, qualia implicare tradidimus alibi.

CAPVT VI.

DE MODO TENDENDI FIDEI IN SVA OBIECTA, FORMALE ET MATERIALE.

CONTROVERSIA VNICA.

Vtrum Assensus Fidei possit consistere in Discursu Formali.

344. NOn disputamus hanc controversiam in eo sensu, quo plures alij eam disputant, & nos superiùs fecimus, nempe, vtrum fide divinâ credi possint, quæ ex aliqua revelata deducuntur: sed in alio sensu, scilicet, an actus Fidei possint constituere formalem Discursum, ita vt intellectus per meros actus Fidei procedat à duplici cognitione connexionis extremorum cum medio termino ad inferendam conclusionem per actum realiter distinctum, vt fit in alijs scientijs. Negant Capreolus, Scotus, Canus, Bannez, Valentia, Suarez, Conink, Granadus, Tannerus, Pallavic. Affirmant non pauciores, Gabriel, Ockam, Almainus, Medina, Vasquez, Hurtadus, Becanus; Lugo, Ripalda, videturque præluxisse S. Thomas q. 1. a. 1. in C. vbi assensum Fidei circa objectum Materiale & Formale explicat comparando cum Geometrica Demonstratione, & addit, Fidem divinam assentiri Veritati Dei tanquam medio termino.

345. Censeo hanc affirmativam sententiam esse veram. Probatur. Habitus Fidei est habitus intellectualis, & quidem residens in intellectu, ex se discursivo; & præterea circa objectum fidei non experimur in nobis diversum modum operandi, atque circa alia objecta obscura quibus assentimur deducendo ex alio: insuper objectum formale & materiale fidei patiuntur circa se fieri illas connexiones terminorum, non aliter quàm fit in fide humana: ac denique nullo solido fundamento probatur specialis repugnantia in fide, vt patebit, solvendo argumenta contraria.

346. Objiciunt adversarij primò SS. Patres dicentes, quòd fides non sit inquisitiva. ℟. SS. PP. hæc ad populum dixisse in eo sensu, quo populi intererat dici: nihil autem intererat dissuadere illis discursum formalem: volebant ergo populum dehortari, ne circa Mysteria Fidei sese curiosiùs gererent, volendo ea fundare rationibus naturalibus, sine quibus nollent credere: hanc inquisitionem dixerunt præjudicare fidei, quæ debet esse contenta auctoritate loquentis.

347. Objiciunt 2. Si Fidei assensus esset aut posset esse Discursus, tunc ejus assensus posset niti Judicio de Bonitate consequentiæ: hoc autem est absurdum: nam Judicium de Bonitate consequentiæ, non excedit evidentiam naturalem: atqui actus Fidei debet esse firmior appretiativè, quovis actu & evidentia â naturali: ergo nullâ tali niti potest. Respondetur ex dictis. Vel Judicium de Bonitate consequentiæ habet evidentiam Metaphysicam prout habere solet in hominibus doctis, vel tantùm physicam: si primum, tunc nego fidem debere esse certiorem & firmiorem. Si secundum, tunc pia affectio imperabit assensum firmum in eo gradu, quo meretur objectum taliter cognitum.

348. Replicabis. Ergo fides nostra tandem nitetur Regulis Logicis: nititur enim Bonitate consequentiæ, & hæc probatur per Regulas logicas: consequens autem est absurdum, & contra experientiam, tum quia nemo se reflectit supra Regulas Logicas in credendo, tum quia innumeri fideles ignorant illas Regulas. ℟. cum Card. de Lugo, negando sequelam. Nam ad eliciendum actum fidei, non est necessarium applicare Regulas Logicas vniversales ad hanc conclusionem particularem eliciendam. sine vlla enim difficultate sæpè penetratur Bonitas illationis particularis ex penetratione terminorum, non minùs quàm penetrat rusticus illam quæ in hoc discursu continetur: si emi bovem quatuor aureis, non debeo vendere tribus, quia sic facerem jacturam vnius aurei: & sicut rustico est impossibile dubitare de hac consequentia, ita potest ex penetratione terminorum determinari ad inferendum Mysterium ex Veracitate & Revelatione.

349. Objiciunt 3. Et principaliter. Si fides esset formaliter discursiva, tunc posset seorsim assentiri Veracitati & locutioni divinæ: consequens, inquiunt, est difficile creditu, idque triplici ratione ostendere nituntur. Primò, quia videtur ex terminis esse contra naturam habitûs fidei, inclinare per se ad actum per quem nihil penitus credam alteri, nec vllo modo assentiar propter cujusquam testimonium, sed præcisè cognoscam

gnoscam aliquam veritatem propter seipsam. Secundò. quia sicut non possumus per habitum charitatis amare super omnia aliquid propter seipsum nisi Deum, ita non possumus per habitum fidei infusæ credere super omnia vlli nisi Deo. Nam sicut amor super omnia soli Deo debetur propter infinitam bonitatem, ita etiam assensus super omnia soli Deo debetur propter infinitam veracitatem; atqui per actum quo seorsim affirmo Veracitatem Dei, vel ejus revelationem, vel bonitatem consequentiæ, nihil penitus credo Deo, cùm ista non cognoscam vt revelata à Deo, sed immediatè propter seipsa, & velut ex terminis nota: ergo talis cognitio non pruducitur ab habitu fidei infusæ. Certè Omnipotentia, æternitas &c. non minùs ex terminis nota sunt, & tamen non possumus ea credere immediatè per actum fidei. Tertiò, quia si homo adultus veniens ad fidem, institueret discursum, & postquam super omnia credidisset Veracitatem Dei seorsim, & casu impediretur actus Conclusionis, sequeretur (inquit Pallavicinus) tali homini adhuc deberi infusionem habitûs fidei, quia per assensum illius præmissæ sufficienter esset mancipatus illius intellectus Veracitati divinæ tanquam primæ regulæ credendi: consequens est contra communem & receptam Theologorum sententiam, docentium, fidem adulto non infundi, nisi postquam se per actum fidei disposuerit. Ita Card. Pallavicinus.

350. Respondetur ad singula. Ad primùm quidem ex jam suprà dictis; Habitum fidei gerere etiam officium habitûs primorum principiorum: quapropter non est inconveniens, eum posse tendere in suum motivum credendi absque eo, quòd per hanc tendentiam aliquid alteri credat: satis enim est, quòd per illud judicium præparet necessaria ad credendum: sicut, licet intellectus vocetur *Potentia rationalis*, nemo tamen negat ejus actum posse esse actum meræ apprehensionis, quæ non est propriè *Ratio*, alioquin amentes non rectè dicerentur ratione privati, cùm non sint privati apprehensionibus.

Ad 2. ℟. Si exemplum rectè applicetur, potiùs servire nobis, quàm officere. Nam motivum amoris Dei, quo Deum amamus propter se, alia verò propter Deum, est ipsa bonitas Dei: atqui habitus Charitatis potest elicere actum amoris circa bonitatem Dei, quin per talem actum velit aliquid determinatè Deo propter illam bonitatem: ergo etiam fides poterit tendere per suum actum in suum motivum, nempe Veracitatem & Revelationem, quin tendat in aliud propter ipsam. Deinde Syllogismus argumenti est vitiosus, quia constat tribus propositionibus negativis, & ideo concessâ majore & minore, nego consequentiam: quæ vt legitima esset, deberet minor argumenti sic formari: *atqui assentiendo veracitati Dei seorsim, credo alteri quàm Deo:* quæ propositio quàm sit absona, nemo non vider. Verissimum igitur est, fide divinâ non posse credi alteri quàm Deo; hinc tamen non sequitur, non posse à fide elici actum immediatum circa motivum, quo nihil adhuc actu credam Deo, sed assentior motivo, propter quod deinde credâ aliquid Deo.

Ad 3. ℟. 1. Argumentum planè deficit seipsum. Quæro enim ex adversario. Dispositio quæ fieri debet per actum fidei ad infusionem habitûs fidei, vel est aliquid aliud in conceptu, quàm sufficiens mancipatio intellectûs veracitati, vel non est aliud? si dicatur primum; ergo mali infert adversarius, quòd habitus fidei infundendus sit positâ mancipatione intellectûs per immediatum assensum Veracitati divinæ præbitum. Nego igitur consequentiam, quia vt fatetur adversarius, aliquid aliud requiritur ad vltimam dispositionem. Si verò dicatur secundum: ergo mali supponit adversarius, positâ illâ sufficienter mancipatione nondum esse positam sufficientem dispositionem ad infundendum habitum: si enim illa duo sunt idem, non potest esse positum nisi, quin pariter sit positum alterum.

351. ℟. ergo 2. quærendo iterum ex adversario. Si alicui adulto proponatur, annuntiatur actualem locutionem Dei, per supernaturalem illuminationem, honestum esse credere Deo, casu quo alicui loquatur, & ille conformiter hoc dictamini practico eliciat actum voluntatis, quo dicat: *Paratus sum credere Deo super omnia, si quid mihi loquatur.* quæro, inquam, an illi homini infunderetur fidei habitus necne? quæro item, an nondum satis mancipaverit intellectum, quandoquidem tota meritoria mancipatio absolvatur per piam affectionem? Si affirmas? jam concedis, adulto infundi habitum fidei, absque eo quod elicuerit vllum actum fidei, quod est contra te ipsum & omnes. Si negas? poterimus & nos negare, quòd sufficiat mancipatio exercita prius circa Veracitatem seorsim, aut circa locutionem Dei seorsim.

352. Respondeo nunc 3. & absolutè ac directè, fidem non infundi, nisi ad summum, quando elicitur actus fidei propriè dictus, & propter quem vltimò & primariò institutus est habitus fidei, qui est, quo credo aliquid Deo revelati. Dixi. *ad summum.* Quia nunc præscindo à quæstione inferiùs tractanda, an habitus fidei infundatur aliquando ante Gratiam sanctificantem: & quidem ab adversario supponitur ita Sententia affirmans, & nos permittimus, ita tamen negatâ evanescet tota objectio.

Ad illud, quod in secunda probatione adducebatur de Omnipotentia, Æternitate &c. quæ etiam possent immediatè credi, sicut Veracitas, nego paritatem. Nam fides, sicut & alij habitus, potest solùm immediatè tendere in suum motivum: atqui omnipotentia &c. non est motivum fidei; sicut Veracitas: ergo non est paritas.

353. Objiciunt 4. Si fides est formaliter discursiva, non distinguitur ampliùs ab Habitu Theologiæ. ℟ Theologiam à Fide distinguit, quod

quòd illius Conclusiones non nitantur immediatè Veracitate & Revelatione Dei, sed re revelatâ. Vtum autem Habitus Fidei concurrat immediatè cum habitu Theologiæ ad Conclusionem Theologicam, quatenus hæc etiam attingit objectum fidei in suis præmissis, huc non pertinet, & libenter id concedimus.

354. Objiciunt 5. Angeli in via habuerunt Fidem ejusdem rationis cum nostro habitu Fidei: atqui in Angelis non fuit Fides formaliter Discursiva: ergo nec est in nobis. 52. Transeat major, distinguo minorem. Non fuit formaliter discursiva remotè, & quantum erat ex parte habitûs, nego, proximè, impedimento proveniente à natura & nobilitate subjecti, cui convenit nobilior modus operandi, transeat. Dico. *Transeat.* quia non desunt Theologi qui censent, Angelos etiam potuisse circa supernaturalia discursum formalem instituere.

CAPVT VII.

DE FIDEI, ALIORVMQVE AD IPSAM CONCVRRENTIVM SVPERNATVRALITATE.

CONTROVERSIA I.

An Actus Fidei sit supernaturalis quoad substantiam.

355. ACtum Fidei esse aliquo modo supernaturalem, indubitatum est apud Theologos, & propugnatũ à Patribus contra Pelagium, non quidem sub termino Supernaturalitatis, sed sub alijs æquivalentibus, vt, doni indebiti. Oppositum videtur clarè damnatum in Bulla Pij V. & Gregorij XIII, contra propositionem 24. Michaëlis Baij, quæ hæc erat. *Absurda est sententia eorum, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, vt Fide, Spe, & Charitate Deum coleret.* Controversia est, vtrum sit supernaturalis intrinsecè & quoad substantiam, an solùm extrinsecè quoad modum. Hoc posterius dixerunt Cajetanus, Paludanus, Capreolus, Guilielmus Paris: Durandus, Okam, Gabriel, Almainus. Contra quos

Dicendum est; esse Supernaturalem quoad substantiam. Probari solet pluribus Scripturæ locis, vbi Fides vocatur Donum Dei, & quòd sine dono non simus sufficientes ad credendum vt oportet: qui textus sincerè ponderati, suadent supernaturalitatem quoad substantiam. Dicitur enim Fides esse Donum, quo nos Pater Cœlestis ad se trahit. Jo. 6. & sine quo nemo venit ad Deum, nec illi placere potest. Vnde colligitur, hoc donum dari tanquam Medium maximè & primariò necessarium & ordinans ad Vitæ æternæ consecutionem, in quo sup. diximus consistere Supernaturalitatem Theologicam & quoad substantiam.

356. Probatur 2. Actus Fidei procedit connaturaliter ex habitu per se infuso & supernaturali, vt infrà probabitur: ergo est supernaturalis quoad substantiam. Conseq. probatur. Nam Habitus supernaturales sunt velut potentiæ inditæ ad eliciendos Actus, & elevantes naturam ad operationes nobiliores illis, quas potest viribus proprijs elicere. Hinc

357. Probatur 3. Quia ad statum supernaturalem & Filij adoptivi, non solùm pertinet, posse supernaturaliter operari per Voluntatem, sed etiam per intellectum, eliciendo operationes proprias filij Dei, & quæ sint fructus participationis naturæ divinæ, adeoque radicentur in Gratia sanctificante: ergo sunt supernaturales quoad substantiam, non minùs quàm ipsa Visio Beata, quæ Fidei succedit.

CONTROVERSIA II.

An Species impressæ, concurrentes ad Actum Fidei, sint supernaturales.

358. CUm Habitus Fidei sit ex se indifferens ad varia objecta fidei, & determinatio credendi vnum potiùs quàm aliud, fieri debeat ab objecto, deducitur, ad producendum Actum Fidei concurrere præter Habitum etiam species, quæ gerant vices objecti. De his speciebus est controversia, an sint quoad substantiam supernaturales necne. Affirmant Granadus & Hurtadus.

359. Dico tamen, ad actum supernaturalem eliciendum sufficere Species Naturales, beneficio sensuum acquisitas. Ita Suarez, Vasquez, Conink, Lugo, Ripalda, alij RR. communiter.

Probo. Entia, præsertim Supernaturalia, non sunt multiplicanda, nisi vel vrgeat inevitabilis necessitas, vel valde serviant ad faciliùs percipiendas

cipiendas alias veritates, nec pariant inconvenientia captu difficiliora. Prioris generis entia admittuntur in philosophia ad tollendam indifferentiam extremorum ad effectum formalem: posterioris generis exemplum est, Quantitas, realiter distincta à materia, subjectum commune & immediatum accidentium: atqui species supernaturales, contradistinctæ ab habitu infuso fidei, neque probantur vllâ inevitabili necessitate, nec serviunt ad facilitandas alias veritates, sed potiùs generant incommoda non levia: ergo rectiùs negantur, & totus concursus refunditur in species naturales. Minoris primum & secundum membrum patebit ex solutione objectionum: tertium membrum est probandum.

360. Primum ergo incommodum & difficultas, quam patitur sententia contraria, est, quòd non possit commodè assignari caussa productiva illarum specierum supernaturalium Et quidem fatentur adversarij, eas non produci nec mediatè nec immediatè ab objecto. Non quidem immediatè: sic enim essent species propriæ, caussarentque actum intuitivum & evidentem, qualis non est actus fidei. Non etiam mediatè, v. g. mediantibus sensationibus, aut primis apprehensionibus, sic enim caussa proxima specierum esset entitas naturalis, quod adversarij non possunt concedere, nam ob hanc præcipuè improportionem volunt species debere esse supernaturales. Restaret ergo vt producerentur à solo Deo: hoc autem non caret incommodo & difficultate, quam ponderavit Lugo, & approbat Ripalda. Si enim Deus immediatè producit illas species supernaturales, enervatur necessitas prædicationis & Magisterij Evangelici, quia prædicationis necessitas (vt colligitur ex S. Paulo, dicente: quomodo credent ei quem non audierunt) vnicè in eo sita est, vt in auditorum mentibus generentur species, vel jam antè genitæ excitentur ad rectè apprehendenda Mysteria, & ad formandum judicium credibilitatis: Si ergo hæ species, quæ sunt naturales, nihil prorsus concurrunt, sed aliæ occultè infusæ, tunc, inquit Lugo, prædicatio est apparentia sola phantastica, ad hoc solùm serviens, vt tegatur operatio Dei, infundentis species sine concursu prædicationis. Vnde non sine jactantia dixisset Paulus: *Ego plantavi: per Evangelium ego vos genui.* perinde acsi quis diceret, se hanc arborem plantâsse, cùm tamen arbor non creverit ex semine ab ipso jacto, sed quod alius in eodem loco occultè supposuit. species autem sunt semen objecti ad generandas cognitiones: ergo si species à Paulo per prædicationem genitæ non concurrebant ad actum fidei, quomodo fidem ipse plantavit?

361. DICES, ideo Paulum plantâsse, quia medijs speciebus naturalibus produxit apprehensiones naturales, à quibus determinabatur Deus ad producendas species supernaturales. Sed contra. Si species deberent esse supernaturales, multò magìs apprehensiones præcedentes ipsum Judicium deberent esse supernaturales, nam etiam qui negant species esse supernaturales, adhuc concedunt apprehensiones esse supernaturales. Nam species supernaturales servientes ad judicium, etiam servient ad præviam apprehensionem: quæ de deberent ante apprehensionem infundi. Denique apprehensiones non determinant ad illas species, nisi quas ipsæ post se relinquunt: hæ autem sunt naturales.

362. Secundum incommodum est in assignando tempore, vel signo naturæ, quo species illæ supernaturales producantur à Deo: in hoc enim assignando nec adversarij conveniunt. Granadus docet eas infundi simul, vel cum habitu fidei, vel quando quis actu credit; & quidem prævulis vult infundi vnà cum Habitu Fidei, adultis verò, quando primâ vice credunt; vnde infundi in infidelibus qui nunquam crediderunt, non dari has species, dari verò in fidelibus qui semel crediderunt. Vnde, nisi fallor, concederet Granadus, has species deperdi per peccatum Infidelitatis, non minùs quàm deperditur ipse Habitus Fidei. Hurtadus vult eas infundi pro signo posteriore, quando quis elicuit actum piæ affectionis. Hæc tamen omnia difficulter intelliguntur. Nam imprimis ponere in infantibus species omnium objectorum credibilium, aliud non est, inquit Lugo, quàm ponere scientiam infusam, non quidem claram, sed obscuram omnium Mysteriorum, quod est contra mentem Theologorum. Deinde si talis infans veniret ad ætatem adultam, posset Mysteria cognoscere absque vlla propositione externa; quando enim intellectus habuit aliunde species, possunt illæ excitari independenter à sensibus externis, vt patet in somno: solùm enim in ordine ad acquirendas species pendet Intellectus à sensibus. Sequeretur item, infantem deinde factum adultum, eâdem claritate omnibus mysterijs assensurum esse, quia haberet species æqualis claritatis.

363. Loquendo jam de adulto, cui dicunt infundi species, quando actu credit: Vel infunduntur pro posteriori naturæ, vel pro priori: si pro posteriori, non poterunt concurrere ad primum actum fidei: si ergo ad primum actum fidei efficiunt species naturales, quid ni etiam ad ceteros? Si pro priori, tunc infundentur etiamsi non credat, quia omnia tenentia se ex parte actûs primi proximi, & quæ sunt conjungibilia cum negatione actûs secundi, existunt, sive sequatur sive non sequatur actus. Deberent etiam illæ species existere ante piam affectionem, quia jam antecedenter experitur adultus in se potentiam credendi, cùm habeat judicium practicum.

364. Objiciunt 1. Caussa supernaturalis, præsertim adæquata, producit effectum supernaturalem: sed locutio Dei est caussa Supernaturalis: ergo producit speciem supernaturalem illis: tanquam objecti, vel certè exigit vt Deus illam producat. ℟. Neque Locutionem Dei esse adæquatè supernaturalem, neque quoad id quod est supernaturale illius, producere speciem illam, nec

nec Deum loco illius, quia cognoscitur abstractivè, & per species alienas, potéstque etiam actu naturali attingi, prout attingeretur ab eo, qui negaret esse locutionem Dei.

365. Objiciunt 2. Ad Actum Fidei præter intellectum debet concurrere objectum per species. ergo sicut intellectus requirit elevationem per habitum supernaturalem, & non sufficeret habitus naturalis, ita objectum requiret elevationem per Species Supernaturales, nec sufficient Naturales. ℟. Negando consequentiam. Sufficit enim Habitus Fidei Supernaturalis, vt simul & intellectus & species naturales sint elevatæ ad actum supernaturalem producendum. Immò si comparatio rectè instituatur, dicendum erit, species naturales elevari. sicut enim intellectus elevatur, vt per suam entitatem concurrat ad actum supernaturalem circa objectum quod alioquin cognosceret actu merè naturali, ita species naturalis elevabitur, vt concurrat ad actum supernaturalem, alioquin concursura ad actum merè naturalem.

366. Objiciunt 3. Species & Habitus debent esse ejusdem ordinis, cùm ex vtroque constituatur vnum principium integrum actûs. ℟. Cùm potentia vitalis non debeat esse ejusdem ordinis cum habitu, cur deberet esse species vicaria objecti, quandoquidem modus concurrendi objecti est ignobilior quàm modus concurrendi principij vitalis. Ratio à priori est, quia species sunt Vicariæ objecti: ergo non est necesse, vt quando objectum est inferioris ordinis quàm sit potentia, species sit altioris ordinis quàm sit objectum. Defacto quidem quando cognoscimus objectum materiale, concurrit species spiritualis, sed hoc ideo fit, quia intellectus est spiritualis, & consequenter species, quam in se tanquam subjecto adæquato producit, & abstrahit à phantasmate, debet esse spiritualis, quia materiale non potest recipi in spirituali, tanquam subjecto adæquato.

367. Objiciunt 4. Quando Conclusio est supernaturalis, etiam præmissæ ambæ debent esse supernaturales: atqui non est major ratio de his atque de speciebus concurrentibus ad actum supernaturalem: ergo &c. ℟. Negando majorem. Potest enim Conclusio Theologica esse supernaturalis, etiamsi vna præmissa sit naturalis, hæc enim sufficienter elevatur ab altera ad inferendam Conclusionem.

368. Objiciunt 5. Scientia infusa Christi exigit species supernaturales: ergo & habitus fidei. ℟. Nego paritatem: Scientia infusa Christi cognoscit quidditativè futura & possibilia: horum autem objectorum tali modo cognoscendorum non dantur species naturales, sicut dantur species naturales ad modum cognoscendi qui reperitur in actibus fidei. Hinc est, quòd in homine docto clariores sint actus fidei, quàm in indocto, quia habet species clariores.

CONTROVERSIA III.

An Iudicium Credibilitatis sit supernaturale.

369. DUplex est distinguendum Judicium Credibilitatis, aliud speculativum, aliud Practicum, & proximè dirigens actum, hoc est piam affectionem, hoc tamen non est ita intelligendum, quasi semper duo hujusmodi judicia realiter distincta intercedere debeant, satis est, quòd intervenire possint. Judicium speculativum judicat, objectum esse dignum creditu. Judicium practicum, proximè dirigens actum, dicit, honestum & obligatorium esse, credere. & de hoc procedit quæstio.

370. DICO, hoc Judicium defacto semper esse supernaturale quoad substantiam. Probatur. Homo cognoscens honestatem credendi, potest elicere actum voluntatis supernaturalem & meritorium: ergo cognitio præcedens debet esse supernaturalis. Probatur Consequentia. Cognitio præcedens actum appetitivum debet esse ejusdem rationis cujus est appetitus. ergo si actus voluntatis est supernaturalis, etiam cognitio præcedens debet esse supernaturalis. Probatur antecedens. sicut potentia cognoscitiva est velut radix potentiæ volitivæ, ita cognitio est quasi radix appetitionis: vnde sicut in nullo ente ponimus potentiam appetitivam alicujus ordinis v. g. spiritualem, quin ibidem ponamus potentiam cognoscitivam ejusdem ordinis, quia radix non debet esse inferioris ordinis, ita pariter non debet poni actus potentiæ cognoscitivæ, quin procedat ex cognitione ejusdem ordinis: potentiæ enim dantur propter actus.

371. Objiciunt 1. Auctoritatem Patrum, asserentium, fidem esse initium Justificationis, meritorum, & totius vitæ spiritualis: sed hoc non esset verum, si ante fidem daretur in intellectu actus supernaturalis; ille enim actus non esset actus fidei, nec ab habitu fidei procedens: ergo non fides, sed ille actus esset initium totius vitæ supernaturalis. ℟. SS. Patres nomine fidei complexos esse omnes illos actus, qui in ordine supernaturali requiruntur ad actum fidei antonomasticè sumptum, & sic etiam complexi sunt actum piæ affectionis, & judicium credibilitatis præcedens.

372. Objiciunt 2. Ille actus non est supernaturalis, cujus objectum non est supernaturale: sed objectum Judicij credibilitatis non est supernaturale: ergo, &c. ℟. Objectum Judicij credibilitatis esse illud ipsum, quod est objectum piæ affectionis, sicut in alijs virtutibus idem est objectum dictaminis, & actûs voluntatis qui dirigitur. Cùm ergo pia affectio habeat objectum supernaturale, nempe honestatem residentem in actu quo credo propter revelationem supernaturalem, & rerum supernaturalium, idem de objecto Judicij credibilitatis dicendum erit.

373. Objiciunt 3. Judicium credibilitatis potest esse deductum ex præmissis naturalibus: ergo est naturalis actus. ℟. 1. Vel illas ambas præmissas etiam fore supernaturales, vt putat Ripalda, vel saltem vnam, à qua elevabitur altera ad inferendam Conclusionem supernaturalem, vt putat Lugo. ℟. 2. Illud Judicium fortasse vix vnquam fieri per discursum, sed penetratis terminis totiûs apparatûs motivorum credibilitatis, cum experientia quam circa illa habuimus, immediatè judicari, hîc & nunc esse honestum credere: ad summum ergo præcedet apprehensio suasiva, à Deo immissa.

374. Quæritur 1. A quonam habitu procedat Judicium Credibilitatis, seu Credentitatis, vt aliqui vocant? Plures Thomistæ volunt produci ab ipso Habitu Fidei, à quibus vix dissentit Ripalda. Communiùs tamen hoc alij Theologi negant. Rationem negandi exhibet Lugo, quia non debet extendi sphæra fidei, vltra suum objectum formale, quod est Veracitas Dei & revelatio. Motivum autem judicij credibilitatis est honestas ipsius actûs fidei. Dicunt ergo, hoc Judicium produci à Prudentia, quæ est vna ex virtutibus Cardinalibus. Verùm Granadus & Lugo distinguunt duos habitus infusos Prudentiæ; vnus est, cujus actus, non nituntur præcisè apparentiâ objecti, prout lumine naturæ haberi potest, sed nituntur honestate fundata in fide, nempe quatenus per fidem credimus, v. g. Castitatem & Cælibatum esse honestum in certis circumstantijs, & quatenus inde evidens fit mihi hîc & nunc esse honestum cælibatum, ob probabilitatem circumstantiarum intervenientium. Hæc ergo Prudentia nititur vltimatè & remotè motivo fidei, vt vult Lugo, vel vt ego opinor, nititur potiùs ipso assensu fidei, quem quis in se experitur: dicit enim tale Judicium: *Mihi credenti Castitatem esse honestam in certis circumstantijs, quas hîc & nunc adesse probabile est, honestum est esse castum.* Porrò hæc Prudentia supponit fidem, & non manet in peccatore, sed perditur cum gratia sanctificante cæterisque habitibus, manente Fide & Spe. Quapropter adhuc alia Prudentia admittenda est, infusa, non præsupponens actum fidei circa honestatem credendi, sed cognoscens eam prout lumine naturæ cognoscibilis est, & hæc manet in peccatore vnà cum habitu Fidei, & hæc producit Judicium credibilitatis. Et hæc est doctrina quam supposui in Controversia proæmiali de supernaturalitate, vbi probavi Judicium primò disponens ad fidem, debere versari circa objectum naturaliter cognoscibile.

375. Quæritur 2. Vtrum etiam apprehensiones simplices circa objectum Fidei & ejus credibilitatem, sint supernaturales. Negant Salas, Lugo & alij, asserentes, sufficere apprehensiones naturales, vt producatur Judicium supernaturale. Si enim potest sensatio sufficere, vt immediatè sequatur Judicium, cur non possit apprehensio naturalis sufficere ad Judicium supernaturale, sicut in omnium sententia potest naturalis apprehensio sufficere, vt sequatur apprehensio supernaturalis, alioquin omnes apprehensiones, quæ non vis remotè disponentes ad fidem, essent supernaturales censendæ, quod nemo dixerit.

376. Quidquid sit loquendo de possibili, an sint necessariæ nec ne apprehensiones supernaturales; defacto tamen censeo cum Suarez, Granado, Ripalda, præcedere apprehensiones supernaturales suasivas, quotiescunque præcedit apprehensio distincta à Judicio. Dari enim aliquas apprehensiones supernaturales, non videtur posse negari, cùm dentur in Voluntate supernaturales motus complacentiæ inefficacis, ad quas non necesse præcedere Judicium, sed sufficit simplex apprehensio. hæc autem debet esse supernaturalis, quia cognitio præcedens actum voluntatis debet esse ejusdem ordinis.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum Pia voluntatis affectio, imperans assensum Fidei, sit supernaturalis.

377. Supponendum est contra Robertum Holkott, actum fidei pendere à Voluntate, quin sit actus inevidens. Nec sufficit mera non resistentia voluntatis, vt volebat Scotus, sed requiritur positivum imperium, vt patet ex alibi dictis: sine motivo enim credendi non potest intelligi, quomodo voluntas necessaria sit. Motivum autem credendi, est motivum volendi actum fidei: volitio autem fidei est formalissimè imperii illius.

378. Dicendum est 1. Hanc piam affectionem esse supernaturalem intrinsecè & quoad substantiam. Probatur auctoritate Scripturæ, Concilorum & PP. à quibus illa pia affectio deprecatur esse donum maximum Dei. ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere*, act. 16. *Dominus aperuit cor intendere ijs quæ dicebantur à Paulo.* Concil. Arausic: 2. Can. 5. *Si quis fidei augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs Sancti, &c. inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* Trid. sess. 6. c. 6. *Excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, &c.*

379. Ratio est, quia Fides est meritoria: atqui hoc meritum non potest consistere in aliquàm in pia affectione: meritum autem omne est supernaturale. Ergo &c.

380. Dicendum 2. Dari habitum specialem supernaturalem, cujus objectum formale est honestas & arduitas specialis, quæ reperitur in assensu firmissimo fidei. Probatur à paritate cum alijs Virtutibus & Habitibus infusis, operantibus ex diversis specialibus motivis. ergo etiam Pia affectioni debet respondere specialis habitus. Etiam habitus manet cum habitu fidei in peccatore fideli.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE NECESSITATE FIDEI AD SALVTEM.

CONTROVERSIA I.

Quorum articulorum Fides sit necessaria Necessitate Medij.

381. PRipalda dividit Fidem in strictè & latè sumptam. Strictè dictam ait esse, quæ nititur auctoritate Dei revelantis, & de qua hactenus omnis nostra tractatio processit. Fidem latè sumptam ait posse vocari omnem supernaturalem Illuminationem, & hanc ait posse dari circa quodcunque objectum. Hoc posito *To. 1. de Ente supernat. disp.* 20. fusè conatus est ostendere, quomodo defendi posset, ad salutem sufficere fidem latè sumptam, & defacto aliquos sine vlla fide strictè sumpta salvari. Quia tamen benè poterat advertere, sententiam hanc esse contra sensum Theologorum, excepto Vega, qui ne quidem latè sumptam fidem volebat esse necessariam, ideo non est ausus aliquid assertivè statuere. Ripaldam impugnavit Card. de Lugo, contra quem iterum se defendit ex instituto Ripalda *hic sect.* 10. protestatus tamen semel iterúmque, se cum alijs sentire propter auctoritatem; spectatis tamen argumentis Theologicis oppositum probabile esse.

382. Dicendum est, nullum adultum justificari posse sine actu Fidei strictè dicto. Probatur ex S. Scriptura. ad Rom. 1. & ad Galat. 3. sed clarissimè ad Galat. 11. vbi cùm Paulus statim ab initio capitis Fidem strictè dictam definivisset, quòd sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: pergit deinde eandem fidem commendare ex actis Patrum, vt Abel, Enoch, Noë, Abraham &c. vsque ad David ac prophetas. Et quidem Enoch habuisse fidem actualem (quæ fuit omnium confessione fides strictè dicta) probat hoc syllogismo. Sine fide est impossibile placere Deo, aut accedere ad Deum: atqui Enoch placuit Deo, & ad Deum accessit per opera sua meritoria &c. ergo habuit fidem: atqui Enoch habuit fidem strictè dictam: ergo de hac locutus est Paulus, quando dixit, impossibile esse, sine fide placere Deo.

383. Confirmatur. Quia Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. agens de præparatione ad Justificationem sic loquitur. *Disponuntur autem ad ipsam Justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt &c.* Ecce! fidem strictè sumptam! De hac autem fide paulò pòst sic loquitur. *De hac dispositione scriptum est: accedentem ad Deum oportet credere &c.* ergo Tridentinum intelligi vult locum S. Pauli de fide strictè sumpta.

384. Respondet Ripalda n. 158. varijs modis 1. S. Paulum ibi præscindere à fide latè & strictè dicta, non enim loquitur tantùm de fide, quæ sit vltima dispositio ad Justificationem, sed de omni fide, quâ disponimur ad quodcunque opus salutare: atqui non ad omne opus salutare requiri fidem strictam putat Ripalda se contra Lugonem evicisse *disp. præced.* Nos autem infrà ostendemus eum nihil evicisse, & ideo hæc responsio non satisfacit.

385. Respondet 2. Posse S. Paulum intelligi de Fide strictè dicta in Re, vel in Voto. quapropter si quis ex illuminatione supernaturali circa bonitatem Dei (quæ in modo repræsentandi esset similis cognitioni naturali) amaret Deum super omnia, talis haberet fidem strictè dictam *in voto*, & sic jam satisfieret assertioni S. Pauli, posset-que talis justificari sine fide stricta in re habita.

Contra hoc urgebat Lugo, quia fides in voto non credit Deum esse, sicut restitutionis votum non restituit. Huic tamen replicæ facilè vidit Ripalda, quomodo occurri possit: nam etiam votum Baptismi non Baptizat, & votum pœnitentiæ non confitetur auriculariter, & tamen Testimonia Scripturæ de Baptismo & Confessione interpretamur de re vel voto.

386. Aliter ergo rejicio responsionem Ripaldæ. Ex illa enim sequitur, omnium planè articulorum fidem esse ex æquo necessariam ad salutem atque est fides Dei remuneratoris, quod est contra S. Paulum, qui vtique aliquid speciale commendare voluit in Fide Dei Remuneratoris. Sequela probatur. quia ille amor justificans sine Fide strictè sumpta, quem ponit Ripalda, non magis esset voluntas credendi Deum remuneratorem, quàm quemvis alium articulum si proponeretur, cùm omnes sint hoc modo sub præcepto.

387. Respondet 3. S. Paulum esse intelligendum de Justificatione prout regulariter solet contingere: nam vniversim loquendo non esse

verum etiam ex alio capite : tum quia (vt putat se alibi probâsse) potest quis ex apprehensione solius Mysterij elicere actum meritorium : tum quia potest quis justificari quin fides stricta fuerit libera (vt etiam putat se probâsse, sed nos vtrumque negamus) tum denique, quia Concilium Tridentinum præter fidem requirit etiam alias dispositiones, quæ tamen non semper, sed tantùm regulariter interveniunt in Justificatione, vt, timorem pænæ, spem veniæ &c. Sed contra est, quia Tridentinum postmodum intelligi vult S. Paulum de Fide, quando simpliciter & absolutè pronuntiat, sine Fide esse impossibile placere Deo.

388. Objici potest primò illud ad Rom. 2. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, &c.* ergo S. Paulus agnovit, posse aliquem justificari sine cognitione Mysteriorum fidei per revelationem, & per solam cognitionem eorum quæ lumine naturali cognosci possunt. ℟. Dupliciter. Primò plurimi hunc locum intelligunt de operibus naturalibus, non quòd quis per illa justificetur aut possit justificari, nec hoc voluit S. Paulus, sed solùm, quòd Gentes non habentes legem scriptam, habeant tamen legem naturalem in cordibus, contra quam agentes peccant. 2. Respondent alij cum S. Augustino, Sermonem ibi esse de Gentibus ad fidem conversis, quæ naturaliter benè operabantur, sumendo τὸ *Naturaliter* non prout excludit fidem, sed prout excludit legem scriptam, quâ Judæi tantopere gloriabantur.

389. Objicies 2. Ergo aliquis apud Gentiles educatus, nec habens Evangelij prædicatorem, etiamsi Legem Naturæ per cognitiones naturales servet, & nunquam mortaliter peccet, non poterit tamen salvari, ex defectu fidei, tanquam Medij necessarij. ℟. per tradita lib. præced. de Gratia, talem Gentilem aliquandiu servantem legem naturæ, à Deo etiam extraordinario modo, si opus fuerit, adductum iri ad fidem, vt ibidem ostensum est.

390. Objic. 3. Post secundam hominis elevationem, omnis amor Dei super omnia justificat, & quoties talis datur, ille semper est supernaturalis, quia Deus non concurrit ad actum naturalem, quando circa illud ipsum objectum potest actus supernaturalis versari, conducens directè & vt meritum ad salutem. Atqui Gentilis potest etiam sine fide strictè dicta cognoscere Deum vt amabilem super omnia : ergo poterit illum etiam vt talem amare, & quidem actu supernaturali, procedente ex cognitione supernaturali, quamvis in modo repræsentandi & tendendi essent actus simillimi illis, quos homo haberet in statu puræ naturæ. Hoc argumento P. Ripalda vehementer trahitur in oppositam sententiam.

391. Responderi potest duobus modis. Primò cùm Card. de Lugo, qui fatetur n. 41. se objectionis difficultatem agnoscere, cui tamen respondendum non sit, ob allata Scripturarum Testimonia. Respondet ergo, defacto Naturam hominem ex peccato originali adeo ad seipsam & proprium commodum conversam esse, vt licet physicè loquendo posset amare Deum super omnia ex cognitione Dei, prout naturaliter, & sine fide agnosci potest, moraliter tamen illum repræsentandi modum non suffecturum : ideo, inquit, dici solet, naturam insinuare quidem amorem Dei, non tamen perficere, quod satis apparet, considerando quàm parùm tota philosophia & ejus sectatores, seclusâ fide, in hoc amore excellerint, & quomodo nullus illorum dilexerit Deum super omnia, in quo sensu dixit S. Augustinus Ep. 107. nos liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse. Requiritur ergo fides, proponens altiore modo amabilitatem Dei, & amoris vincula, quibus Deus adse trahit & allicit magis, quàm commoda temporalia quæcunque.

392. Responderi potest 2. Deum non assumpsisse quemcunque actum amoris sui ad justificandum extra Sacramentum, sed amorem ejus amamus Deum vt nostrum amicum, certissimè per totam æternitatem possidendum, nisi ab ejus amicitia recedamus : talis autem amor præsupponit fidem de beatitudine supernaturali, vt patet, nam lumine naturæ ea innotescere non potest. Hæc responsio magis infrà declarabitur.

393. Replicabis. Saltem posset aliquis elicere actum attritionis, ex motivo honestatis prout naturaliter cognosci potest, & cum talibus quoad substantiam supernaturali, suscipere Sacramentum & justificari. ℟. Attritionem quæ à Deo requiritur vt dispositio cum Sacramento, debere procedere ex Fide strictè dicta, quia debet esse conjuncta cum Spe indulgentiæ, vt habet Trident. s. 14. c. 4. Spes autem veniæ supponit fidem de placabilitate Dei, cùm naturali lumine non possit Deus certò cognosci placabilis pro peccato mortali.

CONTROVERSIA II.

An sine Fide strictè dicta fiat aliquod opus Supernaturale & Meritorium.

394. Affirmat Ripalda, conatúrque in suam sententiam trahere omnes illos auctores, qui in materia de Gratia tenent, opera Gentilium honesta procedere ex gratia Theologica, & per Christum, & aliquo modo conducere ad salutem, qui vnà cum Ripalda sunt omnino quadragintà, vnde conqueritur, quòd hanc suam sententiam Lugo dixerit singularem. Verùm id jure dicit Lugo. Nam, vt fatetur ipse Ripalda, omnes illi auctores negant illos Actus esse Entitativè Supernaturales. Nec verum est quod opinatur Ripalda, supernaturalitatem illorum actuum deduci ex eorundem doctrina de Gratia, non enim

tenent illi DD. tales actus esse Meritorios præmij supernaturalis, sed alio modo dicunt conducere ad salutem, vt explicui in Tract. de Gratia. Sententiam Ripaldæ aliquando probabilem judicaverat Lugo, sed postea re meliùs consideratâ negavit.

395. Docet itaque Ripalda, in homine adulto toties dari actus supernaturales, tam in intellectu quàm in voluntate, quoties proponitur aut amatur aliquod objectum actu honesto & laudabili, qui actus, licet in modo repræsentandi sint prorsus similes actibus naturalibus, qui in pura natura circa illa ipsa objecta producerentur, sunt tamen defacto Entitativè Supernaturales, quia Deus ex Decreto elevationis concurrit semper ad actum supernaturalem. Porrò talem cognitionem, vt jam dixi, vocat Fidem latam.

396. Dicendum tamen est cum cæteris Theologis, ad omne opus Meritorium Supernaturale præcedere donum fidei strictè sumptæ, reducendo tamen ad hoc donum etiam illas illuminationes, quæ proximè movent ad volendum credere, vel ad petendum donum fidei, quæ illuminationes habent intrinsecam relationem ad ipsum actum Fidei principaliter intentum, & sic ex intrinseco prædicato ordinant hominem ad vltimum Finem Supernaturalem, vnde desumendum esse prædicatum primum Supernaturalitatis Theologicæ, dixi in Contr. procem.

397. Probatur auctoritate SS. Patrum, relatorum tum à Suarez, tum â Lugone, quorum verba si ponderentur, apparebit frivolam esse interpretationem Ripaldæ, eos locutos esse de fide latè sumpta, quam ausim dicere, SS. Patribus in hoc puncto non venisse in mentem. S. Augustinus *lib. de Grat. & lib. art. & lib. de Prædest. SS.* c. 7. ait, ideo Apostolum docere, justificari hominem ex fide, non autem ex operibus, non vt opera excludat, sed quia opera Justitiæ sunt ex fide, non ex operibus fides, & sic ab illo sunt opera Justitiæ, à quo est fides. *Ideo*, inquit, *Apostolus docet, justificari hominem ex fide, quia illa prima datur vnde impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* Et iterum: *lib.* 83. *qq.* 76. *& Ep.* 105. *Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis justitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque vllis meritis, sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus, quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita.* hoc autem probat Augustinus ex illo ad Ephes. 2. *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Ecce! S. Paulus insinuat, dari quidem opera quædam, quæ videri possint bona, sed tamen negat ea esse meritoria quæ fidem præcedunt. Videatur Lugo totâ sect. 2. afferens & ponderans plura contra responsiones P. Ripalda. Et sanè per se clarum est, SS. PP. commendâsse Fidem populo in eum finem, vt conatentur opera sua dirigere secundùm fidei regulam, vtique altiorem & firmiorem, quàm sint dictamina naturalia, & quæ non sufficiunt ad elicienda opera meritoria. Quodsi Patres judicâssent, omnia opera honesta esse supernaturalia & meritoria, determinante Deo ad supernaturales actus potiùs quàm naturales, quorsum quæso hæ exhortationes & inculcationes fidei?

398. Objicit Ripalda 1. S. Augustinus sæpè dixit, opera nostra, quæ non sunt ex fide, esse peccata: atqui hoc non potest intelligi de fide strictè sumpta, alioquin omnia opera gentilium, etiam quæ fiunt ex gratia per Christum, essent peccata. Hoc argumentum ipsi Ripaldæ solvendum est, qui cùm vrgeretur à Lugone, quòd SS. PP. agnoscant in Gentilibus bona opera, quæ tamen non sint meritoria, respondet id verum esse; sed simul cum illis operibus naturalibus elici etiam actum supernaturalem, sicut & datur duplex cognitio naturalis & supernaturalis. Quæro ex Ripalda, an illa bona opera naturalia sint peccata? non vtique: atqui non sunt ex fide ne quidem latè sumpta. ergo non omne opus, quòd non est ex fide, est peccatum. Respondeo ergo, illud Apostoli: *Quidquid non est ex fide, peccatum est*, fuisse quidem à S. Augustino intellectum de fide strictè sumpta, sed hoc sensu, quòd omne opus etiam Gentilium, non habentium fidem, sit peccatum, si non sit à parte rei conforme fidei, hoc est, si tale sit, quod à fide reprobetur, quia quod à fide non approbatur, est etiam contra dictamen naturale, esto fides in operante non existat: sufficit enim, quòd in illo existat lumen naturæ cui fides ad stipulatur. Simili ferè modo respondet ad hanc ipsam objectionem P. Cornelius à Lapide in illum Apostoli locum ad Rom. 14. 23. qui postquam notâsset, ab Apostolo per *Fidem* intelligi dictamen conscientiæ, fatetur deinde, S. Augustinum, Prosperum, ac Bernardum intellexisse illum locum de fide strictè dicta. cúmque sibi objecisset: ergo secundùm hos PP. opera gentilium sunt peccata: respondet, illos intellexisse τὸ *non ex fide* pro: ex infidelitate, vel quod est contra fidem, & quod fit ad cultum idoli. Et quia S. Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum, hinc consequenter pleraque eorum opera putavit esse peccata. Denique addit Cornelius, PP. locutos esse per auxesin.

399. Objicit Ripalda 2. Si Fides deberet sumi pro fide stricta, tunc etiam quando SS. PP. requirunt ad Meritum Charitatem, deberent intelligi de Charitate Theologica & perfecta: atqui SS. PP. ad omne meritum requirunt Charitatem, & tamen hoc non est verum de Charitate perfecta: ergo sicut SS. PP. intelligendi sunt de Charitate latâ, poterunt etiam intelligi de Fide lata. ℟. 1. Hoc argumentum nimium probare, scilicet quòd PP. requirentes Fidem ad Justificationem, etiam possent intelligi de Fide lata, nam eodem, modo requiruntFidem ad Meritum & ad Justificationem: & tamen ipse Ripalda non audet hoc assere, vt vidimus præced. Controv. ergo debemus aliter intelligere de Charitate, ac de Fide. ℟. 2. Discrimen

men esse, quòd communi & recepto loquendi modo etiam ille dicatur exercere Charitatem adversus alterum, & illi velle bonum, qui vult aliquid videns esse alteri bonum, esto illum non habeat pro fine *CVI.* dummodo non dicat: se perinde voliturum esse, si esset malum illius illique displiceret. Jam ergo, qui benè operatur Meritoriè, semper attendit vt regulam, Dei Beneplacitum (vt in 2. lib. declaratum est) & sic dicitur amare Deum latiùs loquendo, licèt non habeat Deum pro Fine C V I, vt etiam lib. 3. tr. de Merito dictum est.

400. Objicit Ripalda 3. Cornelium Centurionem, qui priusquam à Petro fidem edoctus esset, faciebat opera meritoria, vnde ab Angelo audivit: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Dei. Porrò in Cornelio nullam fuisse Fidem strictè dictam conatur probare ex S. Hieronymo, asserente, Cornelium ignorâsse legem Judaicam. ℟. 1. hoc argumentum iterum solvendum esse ipsi Ripaldæ, nam S. Hieronymus loco illo, nempe in cap. 3. ad Galat. asserit, in Cornelio fuisse Fidem talem, per quam Abraham & Moyses, & cæteri Sancti ante legem Scriptam Justificati sunt: ergo habuit fidem sufficientem ad Justificationem: atqui hæc est fides stricta, vt fatetur Ripalda. Ergo S. Hieronymus nihil juvat caussam Ripaldæ. ℟. 2. Cornelium habuisse fidem strictam Dei remuneratoris, sicut habuit Job & alij: immò S. Augustinus *lib. 1. ad Simplician. q. 2.* dicit: *Nullo modo ista operaretur* (orationem & eleemosynam) *nisi vel secretis per visamentis aut Spiritûs admonitionibus vocaretur.* Ecce! motivum fidei strictè dictæ. Adde, Cornelium non ignorâsse doctrinam & acta Christi Domini, vt constat ex verbis S. Petri ad domesticos Centurionis: *Vos scitis quod factum est Verbum per vniversam Judæam &c.* indeque motum orâsse Deum pro vlteriore instructione, & hæc erat oratio fidei, quæ pertinet ad fidem strictè dictam, vt jam suprà diximus.

CONTROVERSIA III.

Quo sensu Fides Dei vt Remuneratoris, sit necessaria necessitate Medij.

401. Consentiunt Theologi eam aliquo modo esse Necessariam Necessitate Medij, ob Testimonium S. Pauli ad Hebr. 11. dicentis: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Verùm in assignando Gradu hujus necessitatis, item in assignanda Radice seu caussa hujus necessitatis, ac denique in illius extensione, magna est inter illos dissensio.

Prima sententia docet, hanc necessitatem fundari vnicè in libero Dei arbitrio, nolentis aliter justificare, quàm præcedente tali fide. Ita quidam RR. apud Lugo, quibus adstipulari videtur Hurtadus.

Secunda sententia est, hanc fidem esse necessariam necessitate physicâ antecedente, hoc est, ex Natura rei, seu ex natura actûs illius, qui est vltima dispositio ad Justificationem: v. g. ex natura Amoris seu Contritionis extra Sacramentum, & ex natura illorum actuum, qui sufficiunt in Sacramento. Ita habet communior sententia.

Tertia sententia docet, esse tantùm necessitatem moralem, propter summam difficultatem eliciendi Amorem Dei super omnia, nisi adjuvetur homo cognitione Dei vt Remuneratoris, quæ non potest haberi sine Fide. Ita Lugo.

Quarta sententia docet, ne quidem esse necessitatem moralem, quæ vniversim & semper interveniat, sed tantùm Regulariter esse necessariam, hoc est, ad justificationem regulariter & communi modo obtinendam, quatenus communiter homines solent ita per Gradus procedere ab actibus imperfectioribus ad perfectiores; & de hac sola necessitate esse intelligendum S. Paulum, dicentem de solis infidelibus primò ad fidem accedentibus, non verò de Fidelibus, quos sæpè sinè hac fide justificari vult hæc sententia, quæ est Ripaldæ, & magnâ ex parte Arriagæ.

402. In hac opinandi diversitate mihi semper magis arrisit sententia secunda, quia communis, quia magis conformis verbis S. Pauli, & quia vltima sententia fundat se in argumentis merè negativis, divinando possibiles actus justificativos, in S. Scriptura non fundatos, & ideo nec ad instructionem aut praxin servit, nec habet aliquid subtilitatis Metaphysicæ, multò minùs Theologicæ. Primum & Tertium membrum non habet opus probatione. Secundum membrum probatur. 1. Paulus videtur æquali necessitate requirere fidem Dei existentis seu Loquentis & Remuneratoris, quia vno contextu de vtrâque loquitur: atqui prior est necessaria necessitate physicâ & antecedente: ergo & posterior.

403. Confirmatur. Quia S. Paulus videtur voluisse declarare, quidnam ex parte objecti repræsentari debeat voluntati, ad hoc vt possit accedere ad Deum per illos actus voluntatis, qui requiruntur ad justificationem: ergo videtur voluisse indicare, illud ipsum objectum esse tale, vt attingi debeat per actus justificativos: atqui cognitio hæc est physicè necessaria ad actum voluntatis, quia nihil volitum nisi præcognitum. Ergo &c. Itaque, sicut si quis diceret mihi. *Volentem amplecti sententiam aliquam, oportet cognoscere fundamenta illius; vel: volentem amplecti fidem Religiosum, oportet cognoscere naturam illius.* Ita inquam vtique declararet necessitatem physicam cognitionis prærequisitæ, ita S. Paulus videtur voluisse declarare, quid ex parte objecti sit necesse cognosci, vt possit homo peccator accedere ad Deum per illos voluntatis actus, qui sunt necessarij ad justificationem. Ratio autem fundamentalis esse videtur, quia Revelatio Finis supernaturalis, ad quem debent ordinari actus supernaturales & gratiæ prævenientes, videtur esse Fundamentum

mentum, cui quodammodo innitantur reliquæ Revelationes de honestate aliarum virtutum, vt conducente ad finem vltimum supernaturalem. neque enim puto dari vllum actum supernaturalem meritorium, qui non aliquo modo respiciat Deum vt Finem Vltimum Supernaturalem, saltem sub aliqua ratione confusa, juxta ea quæ præcedentibus controversijs dixi.

CONTROVERSIA IV.

An & quomodo sit necessaria Fides Trinitatis & Incarnationis.

404. DICO 1. Fides explicita Trinitatis & Incarnationis est necessaria adultis necessitate medij, in Re, vel in Voto. Ita Suarez, Lugo, Pallav. & nisi fiat quæstio de modo loquendi, debet esse omnium. Probatur. Illud est necessarium necessitate medij in Re, vel in Voto ad Justificationem, quod est per se ordinatum, vt positivè concurrat aliquo modo ad Justificationem, & est sub præcepto, sicque continetur in dilectione Dei, & quacunque voluntate Dei servandi omnia præcepta, tanquam in voto seu desiderio implicito illius, vt declarabo pluribus Tr: de Euchar: sed talis est fides Trinitatis & Incarnationis. Nam imprimis adulti priusquam baptizentur, debent de his mysterijs instrui, vt habet Ecclesiæ praxis, & tunc fides explicita horum mysteriorum est dispositio illa de qua loquitur Tridentinum sess. 6. c. 6 præterea hæc fides est sub præcepto, vt videbimus: denique adultus non justificatur, nisi habeat propositum servandi omnia præcepta: ergo à primo ad vltimum, nihil deest, quominus sit hæc fides explicita necessaria necessitate medij in Re, vel in Voto.

405. Major difficultas est, an sit in Re necessaria necessitate medij. Affirmant quoad Incarnationem Lorca & Corduba vniversim etiam de ijs qui Christum præcesserunt: Alij verò, vt Canus, Ledesma, Bannez, Aragonius, Valent. Sanchez, limitant hanc necessitatem ad statum legis novæ, seu post Christi adventum.

406. DICO 2. Non est in Re necessaria Fides explicita Trinitatis necessitate medij. Nam ex S. Paulo hoc non colligitur, nec ex eo, quòd in Baptismi forma Trinitas explicitè sit invocanda; nam nec Baptismus est necessarius in Re, nec est necesse, vt suscipiens formam intelligat.

407. DICO 3. Fides explicita Christi nec ante, nec post adventum, est in re necessaria. Probatur à Suarez quoad primum membrum ex Tridentino, sess. 6. c. 2. dicente, ante adventum Christi mysteriũ illud fuisse à Deo aliquibus Patribus declaratũ ac promissum: supponit ergo non fuisse generatim omnibus manifestatum, adeoque fidem explicitam illius non fuisse in re necessariam. Secundum membrum probat Lugo ex oppositi dutitie, quòd simplices sæpè non consequerentur Gratiam in sacramento pœnitentiæ. Neque etiam ex S. Scriptura hæc necessitas evinci potest, cùm intelligi possit vel de necessitate præcepti; vel de fide Christi non vt objecti, sed vt caussæ meritoriæ, vel præcisè asserit, fidem esse medium idoneum ad consequendam salutem.

408. Objicitur præcipuè S. Augustinus, qui pluribus in locis videtur exigere fidem explicitam Christi. Verùm explicanda sunt, vt diximus de Scriptura; & cùm loquatur etiam de illis qui fuerunt ante adventum, est etiam adversarijs explicandus. Insuper etiam requirit fidem mortis & resurrectionis. Pari modo, quando Tridentinum hanc fidem numerat inter dispositiones, intelligendum est: *Regulariter* eam intervenire; sicut etiam enumerat timorem, qui non est necessarius necessitate medij.

CONTROVERSIA V.

Quomodo Fides sit sub Præcepto.

VEniunt hîc dubia quædam practica brevissimè expedienda, quia passim in Summistis videri possunt.

409. Dubitatur 1. Quorum articulorum fides explicita sit sub præcepto in lege nova. ℟. Esse fidem articulorum comprehensorum in symbolo Apostolorum; hanc enim exigunt Concil. Agathense, Bracharense, Cabionense, relata in can. Non liceat 58. de Consecr. dist. 4. & seqq. etiam à nedum baptizatis. Ratio est, quia Apostoli divinâ inspiratione comprehenderunt præcipua & substantialia capita Christianismi: atqui Christianus tenetur scire ea quæ sunt suæ Religionis substantialia.

410. Circa hoc tamen advertunt DD. communiter, non requiri sub gravi culpa notitiam exactam omnium quæ ibi continentur, sed sufficere si cognoscantur eâ ratione, sub qua verbis illis crasso modo significantur. v. g. satis est cognoscere, Christum esse Deum & hominem, quin distinctè cognoscatur vnitas in Persona & distinctio in naturis: item satis est, cognoscere esse tantùm vnum Deum, eúmque esse Patrem, Filium, & Spiritum S. quin distinctè cognoscatur vnitas naturæ in tribus personis. pari modo non est gravis culpa, ignorare, quòd Christus sub Pontio Pilato passus sit, quòd fuerit sepultus. Videtur tamen esse gravis obligatio, credendi explicitè, non solùm Christum esse passum, sed esse crucifixum, quia non solùm Apostoli distinctè commemorant, sed etiam Crucis signum velut insigne gentilitium Christianorum est à Christo constitutum, & ideo communiter docetur, esse gravem obligationem nosse formationem Crucis.

411. Secundò: probabilius est, esse gravem obligationem credendi explicitè descensum ad inferos. Ratio est, quia licet aliqua eorum, quæ ab Apostolis solùm vt circumstantiæ articulorum

rum sunt recensita, possint non esse sub gravi obligatione, vt sepultura, attamen quivis articulus videtur esse sub gravi obligatione: atqui descensus ad inferos est specialis articulus. Nec refert, quòd non exprimatur in symbolo Nicæno: nam vt notat S. Thomas, ideo omissus est, quia non erat circa illum orta hæresis: sicut etiam in symbolo Athanasij plura omittuntur, quæ in cæteris continentur.

Tertiò: Circumstantia tertiæ diei resurrectionis, non videtur sub mortali esse præcepta vt explicitè credatur. Nam licet sæpius Apostoli eam expresserint in prædicatione Evangelij, quandoque tamen omiserunt. Sic S. Paulus ad Rom. 10. *Si confitearis*, inquit, *in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* & S. Petrus in die Pentecostes prædicans act. 2. *quem Deus suscitavit à mortuis solutis doloribus inferni.*

412. Quartò: videtur esse gravis obligatio credendi circumstantiam illam explicitè: *Sanctorum Communionem*; satis tamen est, vt notat Castro Pal: & alij, credere in genere, dari aliquam Communicationem spiritualium bonorum inter fideles, licet ignoretur qualis illa sit: continetur enim hæc communicatio tanquam effectus in Vnitate Corporis totius Ecclesiæ, nam cujusvis corporis membra sese invicem juvant.

Præter ea quæ in Symbolo continentur, & sunt ideo credenda vt non ignorentur, cùm non sint objecta operabilia, sunt alia objecta operabilia, etiam sub gravi obligatione explicitè credenda: de quibus

413. Dubitatur 2. An explicita notitia Sacramentorum sit sub præcepto. De Baptismo & Pœnitentia id certum est; & licet quis in infantia baptizatus sit, debet tamen postea habere probabilem notitiam, quòd huic præcepto sit satisfactum. Pœnitentiæ verò notitia præcipitur, ob probabilem illius necessitatem aliquando futuram. Quoad Sacramentum Eucharistiæ etiam constat ex eo, quia exstat præceptum illud sumendi, & quidem sumendi cum debita reverentia. Non videtur tamen esse gravis obligatio sciendi absentiam materiæ, vel ejus omnimodam desitionem. est etiam gravis obligatio cognoscendi Sacrificium missæ, cùm existat præceptum Ecclesiæ audiendi missam. Quoad reliqua 4. Sacramenta probabilior est sententia, non esse gravem obligationem ea cognoscendi, quia non est præceptum grave ea suscipiendi.

414. Dubitatur 3. de præceptis Decalogi. ℟. Ejus notitiam esse graviter præceptam, hocipso quòd illa sint præcepta vniversalia pro omnibus; non quidem vt quis memoriter & ordine possit recitare, sed vt saltem singula ita sciat, vt si de aliquo interrogaretur, dicere posset, esse vnum ex illis.

Dubitatur 4. An præceptum credendi hos articulos sit humanum, an divinum. ℟. Esse divinum, quia Apostoli accepère mandatum à Christo, hos articulos prædicandi: ergo fideles sunt obligati eodem præcepto, vt audiant & credant.

CONTROVRSIA VI.

Quænam sit obligatio confitendi Fidem.

415. DUbitatur 1. An Confessio externa sit propriè actus fidei, & consequenter negatio externa sine interna infidelitate, sit peccatum contra fidem. Ratio dubitandi est. 1. quia non apparet, quomodo illa confessio externa subsit motivo fidei formali, specifico & proprio: quia negatio fidei merè externa non expellit habitum fidei, quem tamen expelleret, si esset peccatum contra fidem. ℟. Tamen cum S. Thom. affirmativè. Ratio prima est, quia Veracitas auctoritas Dei in loquendo, meretur & requirit cultum non solùm internum & intellectualem, sed etiam externam manifestationem internæ subjectionis, sicut Majestas Regis non tantùm meretur internam reverentiam & recognitionem, sed etiam externam manifestationem hujus recognitionis datâ occasione exhibendam: & sicut non debet servum pudere Domini sui, ita non debet fidelem pudere suæ subjectionis erga divinam Auctoritatem. Vnde non solùm est irreverentia, nolle credere Deum loqui, quando apparet credibile Deum loqui, sed etiam est irreverentia exteriùs simulare, se non revereri interiùs locutionem Dei: ergo jam apparet in confessione externa honestas objectiva quam intendit habitus piæ affectionis, nempe obsequium & reverentia concernens auctoritatem Dei in loquendo. Secunda ratio est, quia, vt notat Lugo n. 10. quivis habitus voluntatis potest per quandam redundantiam extendi ad ea omnia objecta, quæ aliquo modo participant principale motivum illius habitûs: sic creaturæ amantur propter Deum ab habitu Charitatis; sic propter amicum amantur ejus famulos: sic habitus latriæ & duliæ inclinat ad colendas imagines Dei & Sanctorum. Cùm ergo confessio externa sit signum interni assensûs cui substituitur, & quem habitus fidei principaliter intendit, non est mirum, si ad eundem habitum spectet etiam hoc signum imperare. Et sic responsum est ad primam rationem dubitandi.

Ad secundam dubitandi rationem respondetur, habitum fidei non expelli nisi per peccatum internum, quod directè excludit fidem intellectualem, quæ per se & principaliter est intenta à Deo per habitûs infusionem: confessio vera externa solùm per accidens, pro certis circumstantijs.

416. Dubitatur 2. An silentium habeatur pro fidei negatione, quando quis de sua fide interrogatur. ℟. Tunc haberi pro negatione fidei, quando in his circumstantijs indicat erubescentiam potiùs fidei, quàm contemptum interrogantis, secus si significet potiùs contemptum interro-

interrogantis, eò quòd non habeat Jus interrogandi, nec dignus sit, cui respondeatur.

417. Dubitatur 3. An censeatur negare Fidem, qui ad citationem publicam omnium Christianorum non se prodit. ℟. Negativè, quia est præceptum Tyrannicum, nullam habens vim obligandi.

Dubitatur 4. Quâ ratione liceat quandoque ad se occultandum vti vestibus hæreticorum, vel Gentilium, vel Judæorum. Ratio dubitandi est, quia non licet vti verbis æquivocis, intendendo vt audiens intelligat ea in sensu in quo significant abnegationem fidei: ergo saltem tunc non licebit vti vestibus hujusmodi, quando alijs significarent professionem falsæ Sectæ. ℟. Esse discrimen inter vestes & Verba. Nam verba sunt ex primaria institutione signa conceptuum, & tenemur ijs non vti nisi vt signis, & cum intentione loquendi seu manifestandi nostram mentem. Vestes econtra habent alium vsum primarium, & possimus illis vti sine intentione manifestandi per illas nostram mentem: vnde licet alij errent judicando me illis vti ad significandam talem professionem, non teneor hunc errorem impedire, nec censeor erubescere Dominum meum. Vnde infertur posse aliquem ex caussa gravi sic occultare fidem suam, quamdiu vestes non sunt adeo determinatæ ad significandum, vt præter significationem non habeant alium vsum in æstimatione cæterorum ejusdem Reipublicæ.

CAPVT IX.

DE HABITV FIDEI.

CONTROVERSIA I.

Quandonam Habitus Fidei infundatur.

Et

Quænam Dispositio prærequiratur.

418. PRima Sententia est Scoti, quem sequitur Aragonius, Fidei habitum nunquam infundi sine gratia sanctificante extra Sacramentum, benè tamen in Sacramento Baptismi (vtpote quod est Sacramentum fidei) casu quo quis accederet cum actu fidei, & simul cum obice ad Gratiam: tunc enim volunt infundi habitum Fidei sine Gratia.

Secunda Sententia valde probabilis est, fidem infundi etiam sine gratia, quando quis ante Justificationem elicit actum fidei. Ita Suarez, Vasquez, Salas, Valent. Turrian. Conink, Granad. Hurt. & supponit eam Card. Pallav.

419. Tertia Sententia, mihique probabilior negat Habitum fidei vnquam infundi sine Gratia. Ita videtur sentire S. Thomas 1. 2. q. 62. a. 4. & fuit communis apud antiquos, quos sequitur Card. Lugo, Ripalda, & Arriaga.

Probatur hæc Sententia primò auctoritate Clementis V. in Concilio Viennensi, & refertur Clement. vnicâ de Summâ Trinit. vbi circa controversiam Theologorum (cujus etiam mentio facta est in cap. Majores de Baptismo) an sicut adultis, ita etiam parvulis in Baptismo infundatur Gratia & cæteræ virtutes, statuit, ex eo quòd adultis infundantur, etiam infundi parvulis. quæ consequentia infirma esset, si Fides adultis infunderetur, quando eliciunt primum actum fidei: sic enim fieret, vt nunquam infunderetur adultis fides virtute Baptismi; nam adultus non consequitur fructum baptismi, vid. Gratiam, nisi priùs crediderit: ergò semper ad infusionem Gratiæ præsupponeretur jam fides infusa: ergo non potuisset Pontifex tanquam indubitatum supponere, adultis infundi fidem virtute baptismi, vt inde inferret, etiam infundi parvulis.

420. Probatur 2. auctoritate Concilij Tridentini sess. 6. c. 7. vbi asserit ex Apostolorum Traditione Catechumenos ante Baptismum petere ab Ecclesia Fidem: non vtique actualem, jam enim illam habent: ergo habitualem: ergo supponitur hanc non esse infusam, quando elicuerunt actum Fidei. Confirmatur ex eod. cap. vbi dicitur, in Justificatione hæc omnia simul infundi, Fidem, Spem, Charitatem.

421. Respondent ad hoc vltimum, τὸ *simul* non significare simultatem temporis, sed quòd collectio illarum rerum infundatur, sicut Eccles. 18. dicitur Deus creâsse omnia simul. Sed Contra. Potest quidem rectè dici Deus omnia creâsse simul simultate rerum, hoc est, nullâ re demptâ: sed non rectè diceretur Episcopus alicui omnes Ordines simul simultate ordinum conferre, si vnum aut alterum ex illis non conferret: ergo nec rectè diceretur Fides, Spes & Charitas simul infundi in Justificatione, si vna, immò duæ ex illis non infunderentur, sed jam antè existerent.

422. Probatur 3. ex absurdo. In sententia adversariorum sequitur, Habitum Fidei defacto frequenter esse intensiorem, quàm sit ipsa Gratia sanctificans, ac cæteri habitus: consequens videtur inconveniens. Sequelam admittunt adversariorum aliqui, & probatur. nam antecedenter ad justificationem potest quis elicuisse valde perfectum actum fidei, eúmque frequentâsse, & sic habitum fidei multùm intendisse vltra gradum Gratiæ, quæ deinde confertur in Justificatione. Minor verò declaratur. Nam cæterorum Habituum intensio & incrementum semper pari passu procedit, cum incremento & intensione Gratiæ, ita quidem, vt si quis consequatur incrementum Gratiæ ex opere operato, omnes pariter habitus virtutum supernaturalium intendantur: ergo idem dicendum videtur de habitu Fidei & Spei. Confirmatur. Nam in patria Lumen Gloriæ succedit Fidei: atqui Lumen Gloriæ nunquam est intensius Gratiâ sanctificante: ergo neque dicendum est, Fidem fuisse intensiorem. Scio quid ad hæc responderi possit & soleat, sed non tollunt argumentis suam probabilitatem.

423. Probatur vltimò à priori. Fides est Habitus supernaturalis, & Potentia quædam: atqui potentiæ, quæ ex natura rei non sunt dispositiones prærequisitæ, non infunduntur priùs quàm earum radix seu natura, cujusmodi est gratia respectu Fidei: ergo cùm nulla cogat necessitas dicendi oppositum, Fides non infundetur ante Gratiam. Neque refert, quòd Fides maneat, in peccatore sine gratia, quod tamen in alijs potentijs non contingit. Non inquam refert. Nam vel hoc provenit ex libero Dei decreto, contra exigentiam naturalem, vt tenet Lugo, vel si connaturaliter manet, vt contendit Ripalda & alij, illud non est alienum à natura; sic videmus in semine emortuo manere connaturaliter virtutem seminalem, quæ tamen produci non potest antecedenter ad formam viventem seminis. & vniversim minus requiritur ad conservari, quàm ad primò produci.

424. Objiciunt 1. Habitus Fidei conservatur sinè gratia: ergo etiam sine illa infunditur. Ad hoc jam responsum est, negando consequentiam, ob rationes allatas.

Objiciunt 2. Hæreticus quando redit ad fidem, dicitur Fidelis, etiam antequam justificetur: ergo debet habere Habitum Fidei. Probant consequentiam: nam in peccatore ideo manet habitus fidei, quia adhuc est fidelis, licet sit peccator. Nego Conseq. & ejus probationem, quâ, si bona esset, probari posset etiam alias virtutes morales manere in peccatore, v. g. qui est luxuriosus, potest esse amans Justitiæ, & verè potest dici justus aut misericors, aut clemens; ergo hæ denominationes non proveniunt ab habitu supernaturali, sed ex eo, quòd ratione vltimi actûs non revocati, censeatur objectum adhuc habitualiter voluntarium.

425. Objiciunt 3. Tridentinum sess. 6. c. 7. dicit, Fidem, nisi ad eam Spes & Charitas accedat, nec vnire perfectè cum Christo, nec corporis ejus vivum membrum efficere: ergo imponit posse adultum accipere fidem sine Charitate, adeoque & sine gratia. ℟. Negando consequentiam: Concilium agit ibi contra hæreticos, affirmantes, in Justificatione solam Fidem infundi: hoc improbat Concilium, quia fides sine charitate mortua est, potéstque esse in peccatore: quam debet accedere Charitas, non quidem posterior tempore, sed etiam temporis simultate, nam etiam talia accedere dicimus: sic dicimus Sapientiam non esse admodum laudabilem, nisi accedat Prudentias, & observantiam vnius præcepti non sufficere, nisi accedat observantia cæterorum, & doctrinam Magistri non sufficere, nisi accedat attentio discipuli &c.

426. Objiciunt 4. S. Thomam q. 6. a. 1. ad. 3. sed ibi manifestè loquitur de fide adulta. Cæterùm pro nobis stat pluribus in locis. nam 1. 2. q. 62. a. 4. ait: *Ordine quidem generationis fides præcedit Spem, & Spes charitatem NB. secundum actus, nam habitus simul infunduntur.* Non potest clariùs loqui. Item 3. p. q. 85. a. 6. in C. *Respondeo dicendum, quòd in Virtutibus non attenditur ordo temporis quantùm ad Habitus, quia cùm omnes sint connexæ, omnes simul incipiunt esse in anima. Sed dicitur vna earum esse prior alterâ ordine naturæ, quia consideratur ex ordine actuum.* Et paulò post expressè dicit, actum fidei posse tempore præcedere ipsum habitum, actum autem & habitum Charitatis simul esse tempore cum habitibus aliarum virtutum.

CONTROVERSIA II.

Quare Habitus Fidei maneat in peccatore.

EX Concilio Trid. sess. 6. c. 15. constat, Habitum Fidei manere in peccatore, quamdiu non peccaverit peccato Infidelitatis, hoc est, actu interno, nolendo credere, quæ credenda esse cognovit, & hoc negare ad minimum temerarium esset. Nam licet Tridentinum hoc non diversis verbis definiverit de Habitu, ex contextu tamen colligitur, de Habitu esse sermonem. Potest autem PP. Concilij hanc veritatem colligere ex S. Scriptura. Nam S. Paulus 1. Cor. 13. postquam dixisset: *Si habuero omnem fidem, Charitatem autem non habuero &c.* statim subjungit loquens de eadem Fide: *nunc autem manent Fides, Spes, Charitas.*

427. Quærunt Theologi Rationem, seu potiùs congruentiam, cur Deo placuerit hoc discrimen facere, inter Habitum Fidei & Spei ex vna parte (nam & Spes manet, nisi peccato Infidelitatis aut desperationis expellatur, Spes enim sine Fide non manet) & cæteros virtutum habitus contradistinctos ab Habitu Charitatis, vt destructâ per peccatum

peccatum mortale Gratia & Charitate, cæteræ quoque virtutes morales destruerentur, non item Fides & Spes. Nam spectatâ habituum infusorum naturâ, connaturalius futurum videtur, si cum Gratia perirent, in qua sunt radicati, sicut potentiæ vitales in anima.

428. Placet præ alijs illa Congruentia quæ communiter assignatur. Voluit nimirum Deus, peccatorem posse à suo peccato resurgere, & agere pœnitentiam: ad hanc autem agendam voluit esse necessarios Actus Fidei & Spei: voluit ergo in homine manere principium resurgendi, nempe habitum Fidei & Spei, quamdiu per actus contrarios isti Habitus non destruerentur: nullum autem peccatum est Fidei contrarium nisi peccatum Infidelitatis: ergo per hoc solum voluit Fidem tolli.

429. DICES 1. Hac ratione probaretur, etiam aliarum virtutum habitus debuisse manere, quia etiam possunt servire ad resurgendum. Nego paritatem: nam licet possint servire, non sunt tamen eorum actus determinatè necessarij, sicut Fidei & Spei.

DICES 2. saltem sequitur, debere manere omnes cæteras Virtutes Morales, exceptâ illâ, contra quam peccatum commissum est. v.g. si peccavi peccato intemperantiæ, manere debebit Justitia, nam huic non est contrarium peccatum Intemperantiæ. Nego sequelam: quia cùm Justitia non sit determinatè necessaria ad resurgendum, noluit Deus in illa dispensare, sed destruetâ gratiâ tanquam radice etiam destruere.

430. DICES 3. Saltem sequitur, debere manere habitum Pœnitentiæ, sive deinde ea sit specialis virtus, sive habitus Charitatis: nam Pœnitentia non minùs est necessaria, quàm Fides & Spes. Negatur iterum sequela. Nam imprimis Charitas ideo non manet, quia omne peccatum mortale est illi contrarium, repugnans nempe cum ejus Actu Primario, qui est; Amare Deum super omnia. Sed neque Pœnitentia specialis debebat manere, quia cùm possit quis agere pœnitentiam ex motivis diversarum Virtutum, nulla determinatè est necessaria: quapropter cùm nec deberent manere omnes, nec major esset ratio de Vna quàm de Altera, nulla debebat manere.

431. DICES 4. Ergo non solùm Fidei Habitus intellectualis, sed etiam Habitus piæ affectionis manebit in peccatore. Concedo sequelam: immò & habitus ille qui elicit dictamen & Judicium de Credibilitate seu credentitate objecti, quia par est de his ratio.

Dubium incidens, de Influxu Habituum in Actus Præceptos.

432. Contra dicta posset objici & vrgeri difficultas non levis, quam movit Card. de Lugo in tr. M. S. de Gratia. Si enim Habitus Fidei in hunc finem conservatur in peccatore, vt adsit principium resurgendi medijs actibus Fidei, tunc necesse erit, Habitum Fidei influere in Actus Fidei, quibus homo disponitur ad Justificationem. Atqui non potest in illos influere: ergo Ratio allata non est solida. Major patet. Minor probatur. Repugnat mutua caussalitas: ergo habitus non influit in illos actus. Probatur consequentia. Actus Fidei est obligatorius, & formaliter exclusivus peccati Infidelitatis, quo expelleretur habitus: ergo habitus conservatur dependenter ab actu fidei: ergo si habitus influeret in actum, esset mutua dependentia & prioritas inter habitum & actum.

433. Cessit huic difficultati (quæ procedit de alijs etiam habitibus, immò & de Gratia sanctificante) Card. de Lugo, & concessit, Habitus supernaturales nunquam influere in actus qui sunt sub præcepto, & qui hìc & nunc excludunt actum peccaminosum. Verùm hæc doctrina semper mihi visa est durissima: ex ea enim deduci potest, vix vnquam Habitus supernaturales exercere officium suum propter quod sunt instituti, & quidem in Habitu fidei id clariùs sequitur, quia actus fidei semper sunt exclusivi peccati infidelitatis, procedúntque ex obligatione credendi.

434. Nascitur præsens difficultas ex falso principio & persuasione, quòd Deus offerat concursum in posteriore signo, post visam existentiam actûs primi proximi influentis in actum secundum: hinc enim sequitur, quòd Deus non possit offerre concursum indifferentem visâ existentiâ habitûs, quia sic offerret concursum ad conjungendum habitum cum peccato infidelitatis, ad quod homo haberet concursum etiam supposito habitu. Hoc principium impugnavimus in lib. 1. agentes de simplicitate Decretorum divinorum, vbi etiam duplicem viam ostendimus, defendendi determinationem ad individuum actûs liberi: vel per decretum disjunctivum præcedens Scientiam Mediam, vel per ipsum Decretum prædefiniens, & verificativum veritatis conditionatæ oppositæ &c. quâ doctrinâ suppositâ

435. Ad difficultatem propositam Respondeo, quòd Habitus fidei non pendeat ab actu fidei à priori, sed tantùm à posteriori. Decretum enim, quo Deus offert suum concursum indifferentem ad actum fidei A. vel actum Infidelitatis A. non præsupponit Scientiam Visionis de existentia Habitûs, sed præcedit ipsam Scientiam Mediam & dicit: *Volo vt Petrus habens in instanti A. habitum fidei, & instanti B. cætera requisita ad credendum vel discredendum, eliciat vel actum fidei A. dependenter ab Habitu, vel actum infidelitatis B. cum destructione habitûs.*

DICES 1. Habitus pertinet ad actum primum proximum, quia immediatè influit: ergo deberet posse conjungi etiam cum peccato infidelitatis. quia totus actus primus proximus debet posse conjungi cum actibus oppositis. Respondeo negando conseq: probationis assumptum distinguo: quoad inimpedibilia, concedo, quoad impedibilia, nego.

436. DICES 2. Omnia tenentia se ex parte actûs primi proximi, debent esse inimpedibilia per actum secundum. Distinguo: quoad illa, quæ sunt principia vtrique actui communia, & ad vtrumque actum essentialiter præsupposita, concedo: quoad ea quæ ad vnum solum actum prærequiruntur, nego. & talis est habitus fidei, qui ad solum actum fidei præsupponitur: ad actum autem infidelitatis neque habitus fidei, neque negatio illius habitus præsupponitur.

437. DICES 3. Voluntas non potest se determinare ad actum dependentem ab Habitu, nisi præsupponat pro priori naturæ Habitum existentem etiam pro illo instanti quo ponitur actus: ergo debet præsupponi determinatio ad existentiam habitûs. Item Scientia media non potest videre, quòd homo se determinaret ad actum bonum dependentem ab habitu, nisi sub hac conditione; si pro priori naturæ existeret habitus: hoc autem videtur impossibile. Nam si pro priori naturæ existat habitus, non potest se voluntas determinare ad actum malum, quia hic non potest in eodem instanti reali conjungi cum habitu, quem expellit: ergo nec ad actum bonum. ℟. Distinguendo primum consequens: ergo debet præsupponi determinatio impedibilis, concedo, inimpedibilis, nego. Determinatio autem impedibilis est ipsum decretum prædefiniens, præsupponens scientiam mediam, quæ videt, quòd si homo pro instanti B. haberet habitum fidei, determinaret se ad actum bonum A. dependentem ab Habitu. quo viso Deus prædefinit habitum non tantùm pro instanti reali priore, sed etiam pro instanti quo ponetur actus, quæ prædefinitio impediretur, si homo se determinaret ad actũ malum; quæ determinatio videretur per scientiam mediam etiamsi actus fidei posset conjungi cum actu infidelitatis, nam determinatio ad actum infidelitatis sicut non indiget habitu fidei, ita non indiget negatione habitûs: fieret enim illa determinatio etiamsi habitus esset conjungendus cum actu infidelitatis; quia inconjungibilitas non provenit ex eo, quòd homo habens talem habitum, non posset se determinare ad actum malum, sed ex alio capite, nempe ex perfectione habitûs.

438. Hinc facilè intelligitur, quomodo habitus sit destruibilis vel impedibilis per actum malum, etiamsi præcedat pro priori naturæ ad actum bonum, sicut est impedibilis scientia media & Prædefinitio actûs boni. Videt enim Deus per scientiam mediam; Si Petrus haberet pro instanti B. talem actum primum proximum, vteretur habitu ad actum bonum: quo viso prædefinit Deus actum bonum per habitum: quodsi oppositum vidisset, prædefiniret permissivè actum oppositum cum destructione habitûs pro signo posteriore. Haberet se ergo Habitus, sicut se haberet species impressa ad cognitionem A. concurrens casu quo Deus decrevisset illam speciem destruere in instanti B. si homo illâ non vteretur, quo casu species esset per accidens & extrinseca inconjugibilis cum omissione cognitionis. 2.

CONTROVERSIA III.

In quonam subjecto reperiatur Fides.

439. QUæritur 1. Vtrum in Angelis Viatoribus fuerit Habitus Fidei. Negantur aliqui. Sed jam communis affirmat cum S. Thoma. Ratio est, quia decebat Angelos non minùs quàm homines salutem consequi per obsequium intellectuale; imò magis hoc Angelis convenibat, vtpote qui sunt spirituales, nec possunt potiendo mereri, sed solis actibus suarum potentiarum. Vnde à fortiori idem dicendum est de primis parentibus, adhuc in statu Justitiæ Originalis constitutis, de quibus Michael Bajus prop. 24. asseruit, absurdam esse sententiam, tribuentem illis supernaturale Donum Fidei.

440. Quæritur 2. Vtrum Habitus Fidei maneat in damnatis. ℟. Cum S. Thoma, negativè, quamvis contrarium docuerit Durandus & Alensis; & probabile putaverint Salmeron, & Valentia. Ratio est, quia non eliciunt actum fidei ob honestatem ejus, & reverentiam Dei, nec illuminantur dono gratiæ supernaturalis, accedit authoritas D. Dionysij, asserentis, dæmones carere omnibus donis divinis, tam secundùm habitum, quàm secundùm actum.

441. Objiciunt 1. Illud Jacobi. 2. *Credis quia vnus est Deus: & dæmones credunt, & contremiscunt.* ℟. Dæmones quidem plurima credere, sed non fide supernaturali, nec eâ firmitate quæ debetur Auctoritati divinæ, sed præcipuam signa credibilitatis ex se afferre possunt. S. Jacobus solùm volebat asserere, fidem sine operibus esse mortuam, qualiscunque fides sit.

Objicitur 2. Manet in damnatis Charitas, cur non & fides! ℟. Characteris finem non cessare in inferno, cùm non sit operatio, sed designatio in confusionem damnatorum.

442. Quæritur 3. An Habitus & actus Fidei maneat in Animabus purgatorij. Dubitat Hurtadus, sed cæteri affirmant. Rationes quæ afferri possent ad probandum, illas animas habere evidentiam in attestante, non sunt efficaces, & non procedunt de omnibus objectis v. g. de Mysterio Trinitatis. Deinde etiamsi haberent aliquam evidentiam, non tamen tantam quæ excluderet fidem: si enim Angeli habuerunt obscuras revelationes, quidni & illæ animæ?

443. Quæritur 4. An Fidei Actus & Habitus maneat in Beatis. Affirmant Alensis, Durandus, Argentinas. Ripalda de actu fidei propriè dicto negat manere, negat item manere habitum fidei sub denominatione Fidei, affirmat tamen manere quoad suam physicam Entitatem. Alij communiter omnes negant, etiam de Habitu. cum quibus ℟. 1. Actum Fidei proprie dictum

ctum non manere. Quia S. Paulus 1. Cor. 13. omnem cognitionem obscuram à statu Beatorum excludere videtur : & cùm dixisset, nunc manere Fidem, Spem, & Charitatem, subdit: *Charitas nunquam excidit*, quasi insinuando, Fidem & Spem *Tunc*, hoc est in Patria, saltem quoad actum, desinere. Ratio videtur esse, quia illum statum decet potentia proxima ad formidandum : atqui actus fidei supponit potentiam proximam formidandi. ergo.

444. ℟. 2, Neque manet Habitus Fidei quoad Entitatem suam. Ratio est, quia ille habitus esset otiosus, quatenus non posset elicere actus per se intentos.

DICES. Posset servire ille habitus ad eliciendos actus circa ipsam Revelationem Dei, vel circa Veracitatem : sicut Theologi communiter concedunt manere in beatis habitum Pœnitentiæ, licet non possit elicere actum proprium pœnitentiæ, & sicut Lugo cum alijs docet, manere in Beatis habitum piæ affectionis, quamvis non possit servire ad imperandum actum fidei.

Sed contra est, quia assensus circa Veracitatem, intenditur præcisè vt Medium, & non propter se : in patria autem non posset habere rationem Medij. Alia ratio videtur esse quoad Habitum Pœnitentiæ & Piæ affectionis, qui videntur adhuc servire ad actus per se intentos, & vt fines cujus Gratiâ : nempe ad eliciendum Gaudium de Deo sibi reconciliato, & de actu Fidei præstito in via. Quodsi nolis hos actus sufficere, satius est negare illum habitum manere, cum Conink, Turriano & Granado, quàm astruere Habitum fidei in Beatis.

CAPVT X.

DE HÆRESI ET HÆRETICIS.

CONTROVERSIA I.

Quomodo differant Hæretici ab alijs Infidelibus.

445. INfidelitatem dividit S. Thomas *q.* 10. *a.* 5. in Paganismum, Judaismum, & Hæresin. Cujus divisionis rationem reddit S.D. his verbis. *Cum peccatum Infidelitatis consistat in Renitendo Fidei, hoc potest contingere dupliciter : quia aut renititur Fidei nondum susceptæ, & talis Infidelitas est Paganorum sive Gentilium ; aut renititur Fidei Christianæ susceptæ, vel in figura, & sic est infidelitas Judæorum. vel in ipsa manifestatione veritatis, & sic est infidelitas Hæreticorum.*

446. DICES. Qui discrederet revelationi privatæ, esset Infidelis, & tamen nec esset Paganus, nec Judæus, nec Hæreticus, sicut nec ille, qui Revelationi publicæ discrederet merè interiùs, sine vlla manifestatione Externa : ergo divisio non est bona. ℟. Divisionem factam esse in ordine ad Judicium humanum, quo fideles ab infidelibus dignoscantur, ad hoc autem nihil facit revelatio privata.

447. Cæterùm licet divisio hæc recipiatur communiter à Theologis, non tamen in sensu quem præseferunt verba S. Thomæ, qui videtur eam explicâsse in ordine ad subjectum, quo sensu eam rejiciunt plures, Lorca, Conink, Palao, Lugo & alij communiter. Itaque si verba præcisè spectentur, imprimis sequeretur, illum fore Hæreticum, qui à fide Christiana deficeret ad Turcam aut Judaismum, quod falsum est. talis enim, etsi ratione Baptismi suscepti posset puniri, verè tamen esset Paganus aut Judæus, vocaréturque Apostata, non Hæreticus : Sequeretur 2. Paulianistas, qui errârunt circa substantiam Baptismi, non fuisse hæreticos, quia nunquam veram fidem susceperunt, & tamen à SS. PP. vocantur *hæretici*.

448, Alij ergo aliter distinguunt illa Tria membra dividentia in ordine ad objectum, & dicunt, Paganos esse, qui neutrum Testamentum recipiunt : Judæos, qui Vetus recipiunt, non item Novum : Hæreticos, qui vtrumque, sed tamen discredunt quibusdam Articulis.

Sed contra objicitur ab Hurtado, quia Saraceni & Mahometani admittunt Pentatheuchum, nec tamen sunt Judæi. Nec refert, quòd non recipiant totum Testamentum Vetus, nam nec Lutherani recipiunt totum Testamentum Novum, & tamen sunt Hæretici : immò Manichæi totum Novum Testamentum rejecisse dicuntur, teste Maldonato, & tamen fuerunt hæretici.

449. Card. de Lugo clariùs distinguit. Judæos ait, appellandos eos, qui legem & ritus Judaicos saltem plerosque aut præcipuos profitentur secundùm moralem considerationem, & prout defacto inveniuntur, quidquid sit de possibili variatione Sectarum, de qua non est curandum : Hæreticos, qui profitentur Religionem Christianam, nec tamen totam ejus fidem tenent, Paganos, qui neutram Religionem.

450. Sine

450. Sine ambiguitate possent ita distingui: Hæreticos esse illos infideles, qui profitentur Messiam in veteri lege promissum à vero Deo, & à Prophetis prænuntiatum jam venisse, eúmque esse Christum JESUM, nec tamen credunt omnia quæ credenda sunt. Judæos, qui credunt Messiam venturum, necdum tamen venisse: Paganos verò, qui nec venisse, nec venturum credunt. Relictis nunc Paganis & Judæis, circa Hæresin & Hæreticos aliqua deinceps breviter annotabimus.

CONTROVERSIA II.

In quonam consistat Pertinacia requisita ad Hæresin.

451. DEfinitur Hæresis, Voluntarius & Pertinax Error, contrarius fidei Catholicæ, in homine qui se Christianum profitetur. Itaque ad Hæresin strictè & Canonicè sumptam ac punibilem ab Ecclesia, requiri aliquam Pertinaciam colligitur ex cap. Damnamus. de Summa Trinit. circa finem, vbi error Joachimi Abbatis damnatur vt Hæresis, non tamen ipse Joachimus tanquam Hæreticus, eò quòd doctrinam suam Judicio Ecclesiæ Romanæ Sedíque Apostolicæ subjecerit.

452. Quæritur 1. An ad committendam Pertinaciam requiratur Canonica admonitio, sicut in Jure Civili ad Contumaciam requiritur trina Citatio, vel saltem vna peremptoria. Affirmat Alciatus *in s. 2. C. de Sum. Trin.* & alij. Fundant se in Apost. Paulo ad Titum 3. dicente: *Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem devita.* Verùm hoc loco supponitur jam esse Hæreticus ante admonitionem. Deinde Titus, cùm esset Episcopus, ex officio debebat hæreticos monere ad resipiscentiam.

453. Certa igitur Theologorum sententia est & in praxi observata, sufficere ad committendam Pertinaciam, vt quis sciens, ab Ecclesia Romana (quam agnoscit esse dignam quæ vt vera Ecclesia credatur) aliquid vt credendum esse propositum, nihilominus dissentiat, & hunc dissensum aliquo signo externo, quantumvis occulto, manifestet. Si enim hoc non sufficeret, quorsum esset reservatio excommunicationis ipso facto incurrendæ, etiam per hæresin externam occultam, quæ habetur in Bulla Cœnæ, ita vt nec Prælati Regulares, possint à tali hæresi suos subditos absolvere, ne quidem vi privilegiorum, vt Sacra Congr. Cardinal. 17. Novemb. 1628. declaravit? Vnde patet, falsum esse, quod docuit Aragonius, hoc solùm procedere in foro interno, & non externo; nam praxis Inquisitorum contrarium habet. Deinde non video, quare Diana *p. 1. tr. 5. resol. 1.* dicat, sententiam Alciati posse admitti in hæretico rudi, vel quando hæreticus esset Curiæ sæculari tradendus; nam quod ad rudem attinet, monitio non requiritur nisi in eum finem, vt doceatur, opinionem ipsius esse contrariam Ecclesiæ: quoad alterum, nullum in Jure fundamentum exceptionis invenio.

454. Quæritur, an Hæreticus Formalis sit, qui ex culpabili ignorantia errat contra aliquam veritatem Fidei. In qua re diversimodè sentiunt DD. aliqui vniversim docent, nullam ignorantiam mortaliter culpabilem excusare: alij non restringunt ad affectatam ignorantiam: quam tamen aliqui subdistinguunt, in affectatam ex odio discendi, & in affectatam ex animo & affectu liberiùs sentiendi, qua libertate privaretur, si doceret, Ecclesiam aliter sentire.

455. Communis & vera Sententia est, omnem ignorantiam, quantumvis affectatam, excusare ab hæresi in Foro Interno (nam in foro externo præsumitur Scientia per se loquendo) modò sit ita affectus, vt si sciret contrarium definitum esse, vellet se subjicere Ecclesiæ. Ratio est, quia talis non est infidelis, multò minùs pertinax, nec peccat directè contra Fidem, sed solùm indirectè, nempe contra obligationem discendi.

456. Objicitur 1. Peccatum ex culpabili ignorantia commissum, est ejusdem speciei Theologicæ cum peccato commisso ex Scientia, vt ab alijs virtutibus communiter docent Theologi: ergo etiam in materia Fidei hoc erit: ergo peccatum ex Scientia commissum est Hæresis, ergo etiam, commissum ex ignorantia. R. Negando hanc vltimam consequentiam: nam hic loquimur de peccato Hæresis vt punibili ab Ecclesia, & dicimus, ad hanc denominationem requiri circumstantiam aggravantem, quæ provenit à Scientia, sine qua non est pertinacia.

457. Objicitur 2. Ex conclusione sequitur, in partibus hæreticorum paucissimos esse Formales hæreticos, plerique enim habent ignorantiam invincibilem, vel ad summum affectatam circa motiva credibilitatis quæ stant proverà Ecclesia, quæ nolunt investigare. Respondet egregie Card. de Lugo n. 194. plures reperiri apud hæreticos, qui verè & propriè Hæretici non sunt, & ex illis non paucos excusari non solùm ab hæresi, sed etiam à peccato gravi contra Fidem, seu contra obligationem inquirendi, propter ignorantiam invincibilem.

CONTROVERSIA III.

Quænam Pœnæ sint in Hæreticos à Jure constitutæ.

458. DE Jure scripto loquor: nam praxis & vsus pro Regnorum diversitate diversus est, præsertim post Constitutionem Martini V. editam in Concilio Constantiensi, celebrato Anno 1414. quæ incipit: *ad evitanda scandala.* sed nec in Corpore Juris, nec in Bullatijs, nec in decretis Concilij exstat, sed à varijs Authoribus referitur, novissimè à P. Castro Palao *de Censuris disp. p. 4. n. 3.* vbi permittitur Communicatio cum Hæreticis alijsque excommunicatis, nisi sint nominatim

minatim denuntiati, vel Nototij percussores Clerici. verba sunt: *Nisi sententia vel Censura hujusmodi fuerit illata contra Personam, Collegium, Vniversitatem Ecclesiæ, Communitatem aut locum certum vel certam, à Judice publicata, vel denuntiata specialiter & expressè, &c. Salvo si quem sacrilegà manuum &c.* Procederet ergo Jus antiquum in eo, qui novam Hæresin moliretur, & vt hæreticus denuntiaretur. Sunt autem pœnæ duplicis generis, aliæ Spirituales, aliæ Temporales. Incipiendo à Spiritualibus

459. Prima pœna est Excommunicatio Major. cujus severitas semper crevit. Nam antiquitus non incurrebatur ipso facto, sed erat ferenda sententia, vt colligitur ex can. 22. 2. q. 1. Deinde constitutum est, vt ipso facto incurreretur, nullâ tamen factâ reservatione. Ita Innocentius III. loquitur c. 13. de Hæret. *Excommunicamus, & Anathematizamus omnem hæresin extollentem se adversus hanc sanctam orthodoxam & Catholicam fidem, condemnantes hæreticos vniversos, quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum.* Repetit hæc verba Gregorius IX. c. 15. eod. Denique in Bulla Cœnæ, clausulâ primâ reservatur hujus Excommunicationis Absolutio Summo Pontifici. Cujus accuratior explicatio pertinet ad Tract. de Censuris. Non est tamen Reservata Excommunicatio quæ incurritur ob Contumaciam, nisi per annum insordescens condemnetur vt Hæreticus. Ita Alexander IV. c. 7. de Hæret. in 6. *Cùm contumacia (in caussâ præsertim fidei) suspicioni præsumptionem adjiciat vehementem, si suspectus de hæresi vocatus à vobis vt de fide respondeat, excommunicationis vinculo (pro eo quòd parere subterfugit, aut contumaciter se absentat) per vos fuerit innodatus, quam si per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.* Quodsi talis intra annum contumaciæ decederet, excommunicatus quidem decederet, sed non vt hæreticus puniendus esset, v. g. confiscatione bonorum: quia necdum de hæresi convictus, sed solùm suspectus erat (vt q. 192. n. 36. & seq. Farinacius benè notavit) nisi in processu apparuissent plenæ probationes.

460. Secunda pœna est, Irregularitas, quam incurrit hæreticus saltem Notorius & publicus; nam occultum probabiliter eam non incurrere docent graves AA. Cornejus, Reginaldus, Palao, Diana: eò quòd Jurâ de publico delicto loquantur: Nam cap. ad abolendam 9. sic habet post medium. *Præsenti ordinatione sancimus, vt quicunque NB. manifestè fuerit in hæresi deprehensus, si clericus est, vel cujuslibet Religionis obumbratione fuscatus, totius Ecclesiastici ordinis prærogativâ nudetur, & sic omni officio & beneficio spoliatus ecclesiastico, secularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debitâ puniendus, nisi continuo &c.* Ex quibus vltimis verbis videtur colligi posse, quòd hæc Irregularitas tunc primùm completè & absolutè incurratur, cùm lapsum fuerit tempus, vt verum sit dicere moraliter; non redijsse continuò ad fidem: & hoc solo sensu admitterem sententiam Sayri *de Censuris lib. 7. c. 12. n. 16.* quòd hæreticus post pœnitentiam & abjurationem (continuò factam id est, ante receptionem probationum & testium, vt explicat Farinac.) possit susceptos ordines exercere. nam Irregularitas absolutè & completè contracta, est ex natura sua perpetua.

461. Tertia Pœna est Privatio omnis Ecclesiasticæ Dignitatis, Officij & Beneficij, & inhabilitas ad ipsa. Quoad privationem Beneficiorum jam acquisitorum, constat ex citatis verbis cap. *ad abolendam* quoad inhabilitatem ex cap. *vt commissi* 12. & c. *statutum* 15. quorum capitulorum verba non significant privationem ipso facto incurri, sed potiùs videntur requirere sententiam inflictivam hujus privationis, ita vt ante sententiam posset hæreticus sua Beneficia commutare, renuntiare, sicque impedire ne eorum collatio ad Sedem Apostolicam vel alium ordinarium collatorem devolveretur, nisi obstaret stylus Curiæ, de quo testatur Farinacius & alij, quòd à die commissi criminis reputetur Beneficium vacare ipso Jure, neque posse renuntiari in favorem alterius, sed impetrari à quovis. Non tenetur tamen Beneficiatus seipsum spoliare Beneficio ante sententiam declaratoriam criminis, vt dixi in tract. de Legibus. Immò aliqui requirunt etiam sententiam executivam, quod ego non credo.

462. Quarta pœna, vtroque Jure constituta est, Perpetua infamia. Authentica *Gazaros &c.* C. de Hæretic. sic habet. *Omnes hæreticos virisque sexûs, quocunque nomine censeantur, perpetuâ damnamus infamiâ, diffidamus atque bannimus, censentes, vt omnia bona talium confiscentur, nec ad eos vlteriùs revertantur, ita quòd filij eorum ad successionem eorum pervenire non possint.* Addit Imperator egregiam Rationem: *cùm longè gravius sit, Æternam, quàm Temporalem offendere Majestatem.* Nempe ob crimen Læsæ Majest. Cæsareæ etiam confiscantur bona. Deinde id habetur cap. Infames 17. 6. q. 2. vbi Stephanus Papa omnis generis Infames enumerat, & primo loco: *qui Christianæ legis normam abjiciunt.* Hæc pœna etiam filios aliqualiter afficit, quatenus ob delictum patris ab officijs publicis removentur, per varias constitutiones quæ incipiunt: *ad extirpanda.* editas ab Innocent. IV. Alexand. IV. & Clem. IV.

463. Quinta Pœna est, Traditio Curiæ sæculari: à qua supplicium mortis infertur incorrigibilibus; L. Quicunque C. de Hæretic. circa finem. *Vltimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint.* Qui verò pœnitent, leviùs puniuntur. In quo est diversa praxis, quæ ad nos non pertinet. Videatur Rojas *de hæret. p. 2. to. 7. resol. 24.* Castro Palao *disp. 6. p. 2.*

464. Sexta Pœna est, Confiscatio seu Publicatio Bonorum, vt patet ex verbis Authenticæ relatis, & capitulo Vergentis 10. ab Innocentio III. ex integro insertis. Novissimè Bonifacius VIII.

in cap. cùm secundùm leges. de hæret. in 6. constituit, vt ipso jure & Facto sint Bona confiscata à die commissi criminis; nam etsi executionem fieri veter ante sententiam declaratoriam criminis, retrotrahitur tamen ad diem commissi criminis, ita vt alienationes interea factæ, omnes sint irritæ, possintque illa Bona, vbicunque reperta fuerint, à Fisco vindicari. reus tamen vsque ad sententiam ea possidens, etiam illis frui potest.

Non extenditur tamen hæc Confiscatio ad bona vinculata, vt sunt Majoratus, Dos, Feuda, Emphyteuses, Peculium adventitium aut Profectitium. Quoad Bona Castrensia est magna dissensio. Negantium horum Bonorum Confiscationem, vnicum fundamentum est, lex 3. de bonis Proscript. vbi Imperator illa Bona vult Patri deferri. Verùm hæc lex me non movet, cùm non loquatur de confiscatione ob crimen Hæresis, sed de bonis Castrensibus filij deportati, &, quod caput est, eo tempore, quo lex illa condita est, Bona Castrensia non erant sub pleno dominio & dispositione libera filiorum famil. vt sunt hodie. Hæc Confiscationis pœna non remittitur de Jure per resipiscentiam, quia non est conditionata, sed absoluta. Quid autem ex misericordia fieri possit aut soleat, praxis Tribunalium spectanda est.

465. Septima pœna est, prohibitio Librorum ab hæreticis scriptorum; ne scilicet legantur, retineantur, &c. Vtroque Jure puniuntur hujusmodi. Imprimis in lege jam cit: *Quicunque* §. Nulli. C. de hæret. *Nemo hujusmodi habere libros & sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. quodsi qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetuâ deportatione damnentur.* & paulò pòst: *Omnes verò hujusmodi chartæ ac libri incendio concrementur.* Deinde prohibitio hæc specialiùs conceptis verbis facta est in Bulla Cænæ Domini. vbi sub pœnâ Excommunicationis latæ sententiæ prohibetur hæreticorum librorum hæresin continentium, vel de Religione tractantium lectio, retentio, impressio, defensio; quò etiam revocantur Venditio, Emptio.

Nomine Lectionis non venit audito, ad incurrendam censuram, etiamsi legentem indicises ex probabili sententia Cast. Pal. tr. 4. d. 2. p. §. 2. n. 4. quòd Leges pœnales non sint vltra verborum significationem extendendæ: cujus Regulæ explicationem dedi in tr. de Legib. Deinde excusat Materiæ parvitas, qualem esse ajunt DD. quæ continetur intra paginam explicati foli.

466. Adverto hìc pro Germanis, Bezarum relatum à Dianâ p. 1. tr. 11. resol. 35. nec improbatum in sum. Theol. tr. 3. c. 6. q. 8. n. 4. in fine dicere ex communi DD. Sententia, in Germania multos non incidere in Excommunicationem Bullæ Cœnæ propter lectionem librorum hæreticorum, quia in multis locis vsu recepta non est. Videantur Auctores Hispani & Itali, Suarez, Sanchez, Azor, Bonacina, Diana, & omnium accuratissimus Castro Palao, qui de Praxi illorum Regnorum & Inquisitionis testari possunt, nihil litis erat, quæ Juri communi inserta sunt, inducâsse.

467. Octavam pœnam colligo ex glossa, in Legem primam Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt &c. Nempe Hæretici non gaudent Jure Immunitatis seu Asyli; vt notat Arnoldus Corvinus in cit. tit. qui & ipse aliquando à Romana Ecclesia dissentiens, tandem ad eandem redijt. Jure Ecclesiastico enumeratur Hæresis inter delicta excepta, hoc est non gaudentia Immunitate locorum in Constitutione Gregorij XIV. quæ incipit: Cùm aliàs nonnulli: editâ 28. May 1591. Est autem hoc intelligendum de Hæretico formaliter accepto, hoc est, qui propter crimen hæresis fugit ad Ecclesiam ne capiatur, vt habet probabilis sententia, quam defendit Thomas del Bene. *De Immunit. & Jurisd. Eccles. p. 2. c. 16. dub. 10. sect. 4.*

TRACTATVS